Gs
693

- 4 -

Historische und Critische

Beyträge

Zu der

Historie

Der

Eidsgenossen,

Bestehend

In Urkunden, Zeugnissen und Unter-
suchungen, auch gantzen historischen Werck-
gen, grösten Theils aus authentischen Hand-
schrifften genommen, und zu mehrerer Beglaubung
und Erklärung der vornehmsten Geschichten,
vornehmlich mit Absicht auf das
grosse Werck

Hrn. Jacob Lauffers

zusammengetragen.

Vierter Theil.

Zürich,
Verlegts Conrad Orell und Comp. 1739.

Dem Kloster Roggenburg.

KÖNIGL. KREISBIBLIOTHEK IN AUGSBURG

Inhalt.

I. Oſwaldi Myconii Commentarius de Tumultu Bernenſium inteſtino 1528.

II. Vadiani Zerſtöhrung des Cloſters Roſchach und daraus erfolgte Belagerung der Stadt St. Gallen 1490.

De Tumultu Bernensium intestino MDXXVIII.

COMMENTARIUS

Oswaldi Myconii Lucernani.

POsteaquam omnia providens Deus primæ illius ecclesiæ gratiam longioris quasi temporis intermissam spacio tandem hac nostra tempestate mortalibus reddidisset, ac verbum suum sacrosanctum jam per Helvetiæ partes aliquot humanis mentibus feliciter infudisset, effectum est, ut & Bernensium civitas, ubi gustum ejus nonnullum percepisset, magno sibi desiderio totum illud pararet ingerere. Quapropter disputatione Badensi, quæ non ita multo ante habita, neglecta penitus, utpote quæ nihil visa est, nisi bonis viris malum & perniciem struere, collationem Scripturarum in sua urbe de summis christianæ fidei rebus agere instituit. Ergo pro re instituta nihil prætermittit; viros accersit undique primarios, à Titulis etiam religionis magnos, utriusque hæresiωs Evangelicæ & Papisticæ doctos, adferat quisque precatur, quod viæ speret suæ robur adlaturum, dummodo Literis Dei depromtum divini referat mentem Spiritus.

Præ ceteris adeſſe jubentur ſacerdotes, qui cœleſtem debebant eſcam per ditionem Bernenſium ex officio gregi Chriſtiano, ſi quid in utramvis partem, ex quo Veritas luceret magis, in medium proponere valeant. Precibus & pollicitationibus*.... Ioannes... cejus... Murnerus Doctores, alter ex Berna alter e Lucerna ...... quibus de cauſis .... ret Veritatis ...... teſtantur ad ipſum in lucem editi. Nos vero qui aliud inſtituimus, eo lectore dimiſſo, de diſputatione plura dicere ſuperſedemus: tentabimus autem in literas referre, quæ veritatem ex hoc conflictu triumphantem ſint conſecuta. Ab Evangelii parte ſtante victoria contra turgidas, regni papiſtici vires, Bernenſes omnium ditionis ſuæ mentes per legatos exquirunt, ſi libeat e Scriptura Dei compertæ Veritati manus, ſi opus fuerit, auxiliatrices porrigere. Nam eſſe qui linguas virulentas, vel jamjam ad conviciandum exerant, minenturque, quod ſi caderet pro voto, malum facile poſſet accidere patriæ. Quod egerint non egiſſe ſibi, ſed communi bono, quo veritas ſalutis a multis jam ſeculis avaritia libidineque ſummorum ſacerdotum obſcurata maligne, perſpecta hic degere præcipiat, ut illic immortalibus eſſe liceat. Iis auditis & cognitis adfirmant plerique, ſe quod ſit Dei fortiter adſerturos, tantum efficiant, ut & ſibi Veritas ſepulta reviviſcat. Hoc reſponſo legati gaviſi, poſteaquam optime ſperare juſſerant, in urbem redeunt. Senatus animo ſuorum conſpecto nihil omittit, quod ad Evangelii

pro-

* Deeſt in Mſcpto.

profectum & in urbe & extra pertinere videretur. Ante omnia præsbyteros conquirit bonos, pios, doctos, quos ſuis tum in docendo Verbo; tum in exemplo chriſtianæ diſciplinæ præferendo graviter, præficiat. Qui linguarum dono præcellebant, adsciſcit, ut iis probe perquiſitis & imbibitis, Chriſti fides non eo tenebrarum relabi posſet, quo prioribus ante nos ætatibus ignorantia & malignitate pontificum Rom: ordiniſque totius Eccleſiaſtici cum animarum gravi pernicie, dehoneſtamento nominis Dei crudeliſſimo, devoluta fuit. Senatum etiam ordinavit exemplo *Tigurinorum*, qui cauſas conjugales in poſterum cognoſceret, ne flagitia clam patrata*... epiſcoporum auro familiis accepto...... lata fra.... ſimiliter.... ntegerentur, neve..... Deum.... quibus licitum,....... negotium... tes & monachi ventri, gloriæque timent ab Evangelio, ſic ab eodem illi voluptatibus, quocirca velis & equis in contrarium nituntur. Cauſa cur falſi Antiſtites Evangelium repudient & reſpuant.

Ex horum inter Bernenſes numero procaces quidam Haslienſes, Interlacenſes & Sebedalios pertinaciſſime ſollicitant, ne Dominis ſuis in rebus hiſce novis atque nefariis audientes ſint, ne fidem majorum flocci pendant, ne Miſſam ſacroſanctam, qua nihil Deus ſalubrius terris, nihil dederit plauſibilius, abiiciant, agant fortiter, id enim jure poſſe. Accedunt ad iſtam conſilii pravitatem Sylvani ſuperiores, diligenter admonentes, ne parentum religionis veſtigia dimittant

* Deeſt in Mſcpto.

ſancta & felicia, ut per quæ contendentes illi neque bonis ullis caruerint unquam, neque hoſtium quamtumvis gravium inſultus aliquando perhorruerint, imo nunquam non iſtos ingenti gloria peſſumdederint. Et ut alacrius obſecundent, pollicentur ſe pro viribus adfuturos. Hæc verbis quidem, illud facto patrant Sylvani: Sacrificum ſemel atque iterum, per cauſam, quod plebeianum ſacerdotem dandi poteſtas Brienſanis penes Abbatem ſit Montis Angelici (cœnobium ita vocant inter montes Sylvaniæ) magno cum Bernenſium contemtu Brienſiam ad ſacra facienda deducunt, poſtquam Bernenſes literis edocti cœleſtibus miſſandum per ditionem ſuam nuperrime prohibuiſſent. Non æquo id animo ferunt Bernenſes, agunt tamen quod jubebat pietas. Literis principio tentant reprimere temeritatis inſolentiam: at ubi nihil efficiunt, legationem quantam antea vix unquam, nempe D. Ioannem Diesbachium urbis præfectum cum Senatore ſeptimo dimittunt. Orant, monent, hortantur, cœptis deſiſtant, utpote quæ contra fas, æquum, juſtum, pugnent, contra fœdera, quibus jam olim honorificentiſſime vincti ſint, peccent: tales injurias, talem deſpectum nequaquam permittant. Hoc ſi obtineant rem habere non infeliciter, ſin minus, cogitent, quantus malorum acervus hinc in futurum ſe queat attollere. Verum ita vultu, verbis, factis contra itum eſt, ut actum bene putarent, quod illæſis abire Sylvania liceret. Iſta vero tam impotenti audacia, quia fortitudo putabatur, in tantum Haslienſes animantur, ut

jam

jam per ſe veluti laqueum mandare Bernenſibus audeant. In os dicunt, ſe in ea, quam majores reliquerint, fide perduraturos, alterius doctorem non admiſſuros, Miſſam ceu maximum peccantis animae ſolatium quo digna ſit cultu proſecuturos. Hic ut ſint immoti, Sylvani nullum non movent lapidem: alliciunt, pollicentur, confirmant, clam ad colloquia vocant, omnia, ut Evangelio cohibito licentia libidinari poſſet. Tandem Interlacenſes igitur vendicare parant, quae patrum munificentia putativis illis ſacris ab ejus loci monachis peragendis contulerat: ſic interim ratiocinantes, ſi Miſſa nihil, ſi cœrimoniae nihil, ſi quibus eſt Deus in hanc uſque diem cultus nihil, ad nos redeant, quae ſtulte pro hiſce perſolvendis contributa ſunt.

Ex Alpibus Arula decidens, poſtquam per plana diutius dolabitur, in lacum tandem intrat Haslienſem. Iuxta cœnobium exitu reperto mox oppidum Sublacenſe perſtringit, pontem ibi ſuſtinet, ultra pontem veluti Vivarium, unde quantum volueris, quotieſcunque libitum, piſcium exceptabis. Moles e grandioribus ſaxis in fluminis medio ſupereminens aquam in duas parteis ſecat, quarum copioſior liberum initio molis, & amplum obtinet curſum; In fine cogitur per ejusdem preſſioris factae molis declivitatem redire tanquam in viam. Altera vero & minus habet aquae, & ingreſſum per aſſeres ſubjectos velocem, & in parvulum praecipitium devolutum. Excipitur alveo X. circiter paſſus lato, XXX. longo. Deceſſio plana & ampla. Hac piſces cubitalis

fere longitudinis delicati, vocant Albelos, nos milagines putamus, e lacu Thunino per Arulam non brevi certe tractu quam maxima copia ſubeunt ad uſque cataracten: ibi tum neceſſario ſubſiſtunt, nam aquæ profluvium progredi non ſinit, retrolabi natura prohibet. Dum opus eſt ſic excipiuntur: Lenunculo piſcatores ſagena circumducta ripam qua prodierant repetunt, ſagenam trahunt, ac tantam vim piſcium in marginem converrunt, ut videntibus ſit miraculo. Non multis ante annis ſemel uno tractu capti mille quadringenti. Vivarium illud ab Interlacenſibus ruſticis confringi cœptum, tunc tandem dimiſſum ubi ſentiunt, ſaxa majora difficilius moveri poſſe. In cœnobium impetu facto vorant, potant, inſaniunt, nec teruncium ſolvunt. Quod quidem dum a Bernenſibus ingenti conatu prohiberi tentatum eſſet, tam petulanter contemnunt, ut jure cum iis congredi viſum ſit. Iudicii locum Thunum oppidum conſtituunt, arbitros æquos deligunt, diem dicunt; verum Sylvanis auctoribus non comparent iſti. Tum de vi contra inobedientes, contumaces, perfidos, conſultandi Bernenſibus data eſt occaſio.

Dum igitur conſultant, Tigurini malevolentiam quorundam noſtræ confœderationis capitum volventes, qua ſe convitiis non tolerabilibus ab Evangelii ſtatim primordio conſpurcarant, e communibus conciliis ejecerant, minas paſſim jactarant, Cæſaris ſocietatem ſe prius expetituros, quam pati, fides ut iſta radices figat, & tandem conſpirarant, mortis periculum multo

fidei

fidei sublatæ præhabituros; cogitandum putant, quonam pacto munire contra periculorum ejusmodi minas atque procellas se possint. Visum est Civitatem circa fidei rationem cum Bernensibus jungere. Legatis dimissis rem adgrediuntur, fit satis voto. Pactum igitur in hunc modum habebant: Confœderati posteaquam veteres laudem, honorem, pacem, & tranquillitatem multam concordiæ beneficio possederint, nunc autem Christi Verbum a Tigurinis & Bernensibus susceptum, morum pravitas non nihil emendata, cœrimoniæ fictitii Dei cultus abjectæ, sic animos quorundam e confœderatis exasperarint, ut antiquam, ita nominant, fidem juraverint retinendam, post preces etiam invitatusque multiplices, siquid melius ac salubrius e Scriptura Dei norint, per se, vel suos, edoceant, non gravate cessuros; neminem id vero non extreme contemsisse imo potius illud egisse, contumaces ut redderentur quicunque duabus illis Civitatibus obligati sunt; motas tandem ut sibi consulant, ne Verbum illud salutiferum, veritasque Dei cœlitus demissa, temerario conatu aliquo seu vi proterviter opprimatur. Civitates igitur illas in Dei nomine, Iesuque Servatoris omnium ad sacri Rom. Imp., communis patriæ suique firmitudinem, robur, usum, honorem, rursum inter se Civitatem junxisse & mutuæ Tutelæ fœdus, ad olim percussum fœdus, iniisse, talibus quidem conditionibus:

Primo ut judicia, privilegia, jura, vitam, honores, bona, vicissim inter sese tueantur at-

que defendant, subjectos curæ habeant, utilia & honesta promoveant. Deinde fides, quando merum sit donum Dei, partes agant, utraque seorsim alteram interpellante, quo de conscientia libera sit apud Deum. Tertio si quis alterutram partem ob fidem, quocunque tandem prætextu conturbare tentaverit, altera mox ad protegendum, sive petita, sive rumore docta, suis impensis quam fidelissime prosiliat. Quarto, in Comitatibus, Dominiis, Præfecturis communibus reperiri cupidine Verbi tam ardentes, ut vel sponte sacrificos sustollant, qui id se doceant quam purissime; interim vero confœderatorum præfectos more suo grassantes, sacrificos expellere, libros sacros devovere, subjectos carcere, tormentis, mulctisque afficere: Quapropter unanimiter statuerint, ne posthac parochianus ad opus docendi legitime substitutus, doctrinam & vitam ad normam Scripturæ dirigens, ejiciatur. Subjectorum nullus in 12. articulos fidei, quos a pueris didicerimus omnes, culpa carens, multetur, etiamsi forte contra humana dogmata non nihil peccaverit. Monachi seu monachæ per easdem plagas, si verbo docti conscientias liberare monasteria deserendo voluerint, iis quidquid pro perenni victu secum intulerint, restituatur. Quinto parochias, quibus ad suffragiorum sortem Evangelium denunciatur, nemo violenter abarceat. Similiter vis absit omnis, si quarum pars major papistici regni consuetudine magis teneatur. Hic autem perquam diligenter illud perscriptum, si forte reliquos confœderatos

Deus

Deus per suam gratiam illustrarit, ut Evangelio recepto se cum Tigurinis & Bernensibus conjungere sustinuerint, eos voluntarie & ingenti cum gaudio recipiendos. Si magistratus alii seu Civitates idem in futurum petierint, integrum id sibi volunt servari. Quiquid autem hic pactum, neque fœdus antiquum Helvetiorum diminuat, neque pactionem cum Cæsarea Majestate violet, nec quorumvis antehac initæ conventioni malo sit. Aliter vires extendat explicetque contra neminem non, qui Tigurinis & Bernensibus ob fidem iniquior extiterit, omni dolo tamen & fraude seclusa. Duret deinceps quam constantissime, nec altera partium nisi per alterius consensum dimittatur unquam. Quinto quoque anno suis cœrimoniis & Juramentis, ut initio factum, redintegretur.

His confectis Constantienses quia compererant aditum ad illud fœderis nec externis occlusum, ipsi autem propter ea, quæ jam acciderant, non vulgaribus periculis sese obnoxios Evangelii causa cognoscebant, non ita multo post in hanc eandem Civitatem concedunt, sine tamen aliqua juris derogatione, quo debent Cæsaribus & Romano Imp. Quæ res adeo doluit confœderatis quibusdam, ut id cum per se tum per alios infringere conarentur. Conficiunt enim ut Literis Cæsarianis & legationibus mox Tigurum, Berna & communes Helvetiorum conventus opplerentur. Non licere cuipiam alienas urbes, oppida, vicos, sine causa, contra domini voluntatem sibi consociare, minus vero Tigurinis & Bernensibus de Ci-

vitatibus præsertim domus Austriæ propter hæreditarium illud concordiæ fœdus a multis jam annis & institutum & servatum. Quapropter cœpto desistendum vel manendum infortunium. Cæterum quia probe, juste, pie, fuerat actum, nec quidquam contra id, quod erat objectum, responsum est brevibus a Tigurinorum & Bernensium senatu, nihil temere, nihil per injuriam, a se commissum adversus Austriæ principes, aut dictæ concordiæ perpetuum fœdus. Ejus autem quod egerint autorem esse Deum, quapropter irrevocabile futurum. Quod si quis ob id incommodare statuat innocentibus, vivere qui se sit vindicaturus. Ita conatus iste per constantiam piorum oppressus, effecit ut Lucernani, Urii, Suitenses, Sylvani, Tugini, quo bonos viros læderent, tyrannidem inceptarent in suos. Nam ære mulctant, qui carnes diebus, quibus non licebat per Episcopos Romanos, comederant, longe gravissimo. Mandant ne cui Testamentum novum vel legatur vel audiatur, vel in ædibus, ut depravatum, & glossariis novis contaminatum, quibus indoctiores facile tum in errores, tum in contemtionem rerum divinarum abstrahi queant, detineatur. Si quis aliter egisse fuerit deprehensus, numis aureis XX. continuo puniatur. Sin libros clam habitos mors tandem prodiderit, bonis omnibus multetur. Præter hæc ultima pati cogunt multos, qui docti cœlitus aut in Missam, aut in simulacra cœrimoniasve liberius invecti fuerant. Ex his novimus aqua submersos, igni crematos, & capite plexos. Confœderatorum

quo-

quoque Praefecti dominorum voluntati prorsus consentaneam navant operam. Praeter coeteros autem Jacobus Stoccerus Tuginus homo insigniter impudens, libidinosus, ignorans Dei, per id temporis Durgeanos antestando vexat; nam edictis in professores veritatis Evangelicae promulgandis haud fuit segnis, in exigenda mulcta constituta de falso condemnatis adhuc impigrior, unde laudem facile non parvam apud suae farinae homines pepererat. Quamvis ante hunc proxime Josephus Montanus Suitensis, homuncio loquax, fraudulentus, & impie inconstans, ut qui prae omnibus veritatis principio Dei gnarus, ubi consequebatur honores, defecerit, & in truculentissimum Evangelii Christi persecutorem degeneraverit, multo saevior extitisset: non paucos enim propter agnitam confessamque Dei Veritatem morti superioribus annis addixerat.

Nec Abbates interim & Episcopi per se cessant, orant enim, sollicitant, numerant, & amplius pollicentur, ne fides ista pessima cursum obtineat, cessurum enim id in perniciem Reip. Christianae. Verum nescio si quid aliud, quam suos per isthaec vana magis ad currendum incitaverint. Gentem Rhenivallensem Abbas vendicat Sancto Gallensis, Arbonensem Episcopus Constantiensis, virile tamen robur atque virtus ad confoederatos spectat. Illae Verbi solatio mentibus intellecto & ejus desiderio magis indies gliscente, deficientibus autem qui satisfacerent, Senatum adeunt Tigurinum communi voto, queruntur antistites non satis habere, quod ipsorum hactenus labores

labores devorarint, animas orco miserabiliter devoverint, sed pertinaciter velle, ne præter consuetum aliud requirant. Et cum veritas nunc tandem quasi postliminio redierit ejusque claritas ad se quoque nonnulla ex parte commearit, effeceritque non parum sui cupidos, petere cum ab solis hac tempestate divinis de rebus auxilium & petatur & comparetur, ut juste pieque rogantibus subveniant. His auditis & cognitis, non solum annuit senatus, verum etiam statuit suppetias se laturum pares omnibus, in quos æqua sibi foret cum reliquis confœderatis potestas, dummodo majori sic parti vel oppidanorum vel paganorum placitum esset, jurisdictione potestatum quarumvis integra manente tamen. Quamobrem dictæ genti vires omnes ad rem propositam adjudicatæ hisce conditionibus, ut honorem, tributa, reditus, obedientiam, quibus debeant, reddant, justitiam autem fidei soli Deo. Hic si quis opponere se temere conatus fuerit, manibus pedibusque promittit Senatus adfuturum, ne gloria Dei diminuatur. Gaudium ingens fuit non tam Rhenivallensibus, quam toti civitati: spes enim data viam Deum aperuisse, qua jam Verbum ejus sensim ad quoslibet transmeare posset. Non multo post hæc quidam e Durgeanis auxilium pariter invocant contra parricidium animarum, mox alii, sicque deinceps, dum in regnum Christi illa tota gens commigravit.

Priusquam ad res Bernensium redeamus, Doggiorum paucis meminisse non ab re videbitur. Noverant hi quidem jam pridem voluntatem Dei, sequen-

ſequendamque ſtatuerant, ſed innovare quidpiam initio cum gravius videretur, ad poſtremum animo ſumpto templis idola cum altaribus ejiciunt. Suitenſes mirum quam id ægre ferrent, perſuaſi poteſtatem in illos eſſe ſibi, cum pactionis genus tantum foret, quo plus tamen Doggiis Suitenſes, quam illi Suitenſibus debebant. Ergo blanditiis agentes principio, ſi valeant à cœpto tam inaudito revocare Doggios, dum nihil proficiunt, minitantur bellum. Verum id contemnendo facillime repreſſum. Paucis diebus interjectis e monaſterio Vallis divi Joannis ſimulacra pauci quaſi per ludum extrudunt, quod quidem dum Abbas fugiens non fugatus, theſauro furtim præmiſſo, conqueritur apud Suitenſes, novus exoritur tumultus. Ibi tum actum tanta quidem ſeveritate, ut & Doggiis putaretur non præter rationem ſi ſibi conſulant. Legationem itaque Tigurum dimittunt, auxilium, quo nec Evangelium nec Jura gentis ſuæ manibus extorqueantur, petunt: nam eſſe dicunt quibus utrumque ſit in animo. Senatus re prudenter conſiderata, necubi cedere pietas impietati, ſeu juſtitia damnum facere cogeretur, omnem promittit operam. E veſtigio duces legit atque ſigniferos, delectum per ditionem agit, edicitque militibus, ut in ſingulas horas ſint quam inſtructiſſimi. Suitenſes quoque per fœdera complices vocant ad ſubſidium adverſus Doggiorum inobedientiam, quippe qui precibus & mandatis ſuis contemtis hæreticorum ſint ingreſſi veſtigia: hoc vero ſe pati neç poſſe nec velle. Vocatis neſcio quid ſubierit,

rem

rem prius verbis tractandam judicantes, concilio ad Baden convocato, rogant Suitensium Legatos, quodnam Juris in Doggios habeant? E responso compertum hos post obitum Friderici Doggiorum Comitis a Suitensibus & Glareanis æqualiter in Cives receptos, ut eos tueantur pro virili contra cujusvis injuriam: Doggios tum denique ad auxiliandum obligari, cum hostiliter eorum patria peteretur: finem conventionis esse partium arbitrium. His ad hunc modum cognitis Suitenses corripiuntur a confœderatis, quod tantum se causa non æqua vexaverint, moneturque, res tam grandes posthac diligentius expendant, ne quando pœna luenda sit imprudentiæ.

Nunc redeundum ad Bernenses. Rebus omnibus diligenter prudenterque consideratis, inveniunt ad pacem & tranquillitatem aditum patere nullum, nisi per Vim, qua de causa, quidquid ad bellicum adparatum pertinet, conquirunt. Nec cessat pars adversa, nam ad repugnandum totis viribus jam pridem animum induxerant. Imo Sylvani superiores armis sponte sumtis in ditionem Bernensium impressionem facere jamjam incipiunt. Igitur 18. die Octobris anni XXVIII. supra CIↃ IↃ. Salutis, Bernensium Senatus Tabellario publico Tigurinos monet, Sylvanos ingenti militum numero transire Brunigam montem, armis instructos, ut quos rebelles effecerint, jam etiam tueantur. Quapropter in animo esse cum exercitu sublatis signis in eos proficisci, quibus nec pium nec justum hactenus placuerit. Ipsorum itaque

partes

partes eſſe pro vi fœderis & civitatis nuper initæ ſic ſe comparare, ut iterum admoniti pro viribus adſint. Accepto nuncio, Senatus milites, arma, tormenta parat, farinam avenaceam ex veteri conſuetudine frixam ad commeatum vaſis reponit, nec quidquam prætermittit, quod vigilantium refert concivium. In adverſariorum tanta multitudine trecentos erat invenire ſolos, quorum ultra 60. ex Haslienſibus erant, qui debita moverentur in Dominos ſuos reverentia, quam ob cauſam ſubtrahere ſe, atque ad Bernenſes refugere coguntur. In oppidum primo Sublacenſe perveniunt, ſed quia muris vetuſtate collapſis locus parum fuerat tutus, a Bernenſibus re cognita Thunum evocantur, & vexillo protinus dimiſſo præſidiariorum loco illic eſſe jubentur. Fugam mox ubi gens ruſticana perſentit, in ædes illorum impetu fertur, rapit, vaſtat, ſubvertit omnia, non vicinitas movet, non ejulatus muliebris, non pueri, non infantes, perdunt quidquid eſt obvium, ab uxoribus & virginibus abſtinent tamen. Profectionem dum adornant Bernenſes, Judicia quatuor (qui ruricolæ ſunt proxime ad urbem habitantes, cujus & pars ſunt ejuſque ſub ſigno militant,) vel pari conditione vel amicitia & affinitatibus moti Senatum petunt, ne quid contra familiares, cognatos, imo contra Reip. Bernenſis membra hoſtilius moliantur; eorum etenim cum in pace tum in bello operam ſæpius profuiſſe, dubioque procul ſi quid accidat deinceps quoque profuturam. Illos ſi devaſtent, ſe ipſos devaſtent: Si oppri-

opprimant, non pessimam ditionis suæ partem opprimant. Quocirca pro singulari prudentia & mansuetudine clementer omnia considerent, ac faciant, id se rogare & obsecrare, quam queant cupidissime. Senatus brevibus respondet, bono sint animo, neminem se læsurum injuria. Quia vero non satisfactum hoc responso, consultant quid amplius faciendum. Consentiunt ablegandos e singulis Judiciis ad partem diversam denos, qui rebus diligenter perquisitis, si fieri queat, uni paci studeant. Verum illo posteaquam perventum, mulieres auditæ jus subinde clamitantes, pueri palantes ac miseri conspicati, nulla sanitas uspiam, & quod in primis horrendum, si qua pacis fiebat mentio, non solum audiri convitia sed & damnum intentari. Rursus itaque domum reversi, relatis cunctis, quæ viderant, atque cognoverant pensitatisque, Dominis adversus impios & superbos nullas non vires adjudicant. Tum protenus Bernensium Ursus proficiscitur, Dom. Joanne Erlachio Urbis præfecto Duce, Ursifero Petro Wyshanio, Vexillifero tormentariorum Sulpicio Hallero. Tigurinis per Literas significant hac se tempestate nihil opus habere præsidio nisi divino, cui quidem adeo consilium & operam suam commendaverint, ut hostem in præsentiarum timere fuerit impium. Ipsis interim curæ sit demandant, ne quid mali patiatur alibi vel sua vel eorum Respubl., non eos modo qui sint in armis hostes esse, verum etiam qui id quiescendo maxime dissimulent. Hos occasionem certo manere, quæ si mi-

minus offeratur, titulum tunc tandem mediorum captaturos. Senatus Tigurinus mente Bernenſium accepta per Legatos jubet Lensburgenſes finitimosque vel Lucernanis vel Rheno, fortes ſint, atque vigilent: ad omnes etenim caſus adfuturos ſe militibus & omni paratu quam inſtructiſſimos. Ex Durgeanis quærunt, occaſionem præbente malitia temporum, Tigurini, quidnam his tam periculoſis diſſenſionibus de ipſis ſperare liceat? Omnia fortia reddunt, tantum ut ſi quid Evangelii gratia inpoſterum accidat, muniantur & ipſi. Dum hæc aguntur vagum quiddam nunciant Bernenſes, Lucernanos impreſſionem in Herogeam verſari: quod ſi fiat præſenti ſint animo hortantur, quo ſciant quid opus facto. Cujus quidem adhortationis hic eventus, ut per ſe vigilantiſſimi Tigurini vigilantia ſe ipſos quoque ſuperare conarentur.

Non mihi videor interpolaſſe rerum ordinem Lucernanorum mentione facta, ſi demonſtravero, quid reliqui fœderatorum in hiſce turbis agitarint. Lucerna propter fœdus cum tribus Civitatibus Sylvanis, quas vocamus, ſeorſim ab initio fere Confœderationis percuſſum, Sylvanis admodum obligari, nec tamen communi fœdere & illorum iniquitatibus prohibentibus, ferre ſupetias audere. Suſpendere quoque quod Tigurini, volante ſigno Urſino non ſtatim ſe proripuerant, nam formidare quid id ſibi vellet? Tandem huc devenire, ut octingentis militibus clam ad Sylvanorum vo-

luntatem lectis, maneant tamen ne hostium numero censerentur. Interim non omittere, si quid recte potuisset, tentare, namque cum Suitensibus & Tuginis Mellingam & Bremgartum oppida munire præsidiis, ex æquo debentia Tigurinis etiam & Bernensibus. Id hanc ob caussam tentatum ne convenire possent hi subsidiis, nam oppida inter utriusque ditionis confinia sita, Rusa flumine intersecante transitum exhibent liberrimum. At is conatus ubi fractus, domi non sine stomacho mussare. Friburgenses & Salodori concives Bernensium a multis annis, in hunc se modum gerere. Salodori missis de pace Legatis audiunt: Hoc se beneficio jamjam penitus non indigere, bellum namque maturo consilio decrevisse: quapropter officium requirere potius, quo rependant quod olim ipsi Jure Civitatis, dum a suis intestino tumultu premerentur, exhibuerint: Quare domum abeuntes ex debito faciant: vel id si noluerint, causas exponant. Igitur delectu habito manent dum ab iis evocentur. Friburgenses quia cum quinque capitibus paulo superius nominatis de fide in unum Deum extirpanda nonnihil communicaverant, angustiis conclusi dubitant, utronam sit declinandum, usque dum a Senatu Bernensium in os Legati sui perjuri Civitatisque Violatores criminarentur. De Uriis ferebatur, magistratu cunctante quinquaginta circiter ad Sylvanos procurrisse. Suitenses pro patria solliciti videre ne quid pateretur incommodi: Suberant causæ, quibus procul dubio succur-

ſuccurrerat quam eſſent peſſime de Tigurinis meriti. Tuginorum vetuſtum in Evangelicos Viros odium pugnaſſet forſitan evocatum, niſi propior extitiſſet ſua Reſpublica; propter hanc enim campanam deſignarant, cujus ſonus exauditus in Vicum Baram convocaret omnes ad accipiendum quid rei & quid agendum foret. Schaphuſii & Abbacellenſes quia rumor erat, neſcio quis, de Ferdinandino ſubſidio Sylvanis ſubmittendo, malebant ſuis id viribus excludi quam alterutram partem adverſus ſe tepidius agendo concitare. Rerum itaque finem domi deſidentes expectabant.

Jam vero Thunum usque pervenerat Urſus, cum agreſtes quatuor ex hoſtibus ſpeculandi gratia profecti ad divi Beati montem excipiuntur à H. Friſchingo jam dudum proſcripto, patriam enim is fortiter factis recuperare vel vita defungi ſtatuerat. Adverſariorum Exercitus interea cum maximo Sylvanorum Signo Sublacenſe tenebat oppidum, quæ res animadverſa Bernenſes eo ratibus per Lacum Thuninum cum Vexillo tormentariorum & aliquot bombardis rhedariis perpellit. Quod quidem perſentientes hoſtes, relictis quæ ſecum advexerant retro Brienſiam abeunt. Receptis itaque Bernenſes oppido & cœnobio, ſequi cedentes communi voto ſtatuunt. De improviſo tum adſunt deprecatores Lucernani, Baſilienſes, & Valeſiani, conſilium fallentes: nam iis ut eſt aditus ad utriusque partis milites impetratus, nihil agunt niſi de concordia & pace, nec flagitando permittunt damnis

ut inter se prosequantur. Quod cum Ursus latibulo semel emotus vix sustineret, Sylvanis autem hoc ipsum præter opinionem accideret, nescio cujus rei veniret in mentem, castris motis derepente ad suos revertuntur, fœdissime destitutis, quos maxima ex parte miseros ac infelices in tantas turbas conjecerant. Cum igitur Bernenses insequendi cupîditate jam magis magisque flagrarent, depreçatores tantum non lacrimis ardorem extinguere satagunt, obtinent tandem, quia Tigurinorum quoque tametsi res ipsorum nihil minus ageretur, preces intercessere. Sic factum ut Sylvanorum perfida temeritas, ne quid dicam gravius, maneret inulta. Frutingenses abitione Sylvanorum rei finem prospicientes, ad Ursum perfugiunt, qui tum in Cœnobio consultarat. Nemine vero Sylvanis ejectis hostilem animum exhibente, Bernensium Copiæ divisæ, partim Briensiam, partim abeunt Hasliam & passim idolis atque aris quæ restabant ejiciendis operam impendunt. Interim agrestium quidam ad Valesianos fuga penetrant, quidam sequuntur Sylvanos, reliqui desperati Bernensium copiis denuo congregatis supplices manus tendentes se dedunt. Ejus deditionis hæc formula fuit. E regione dediditiorum acie Bernenses in pascuo boum instructa, præliaturis similes tormentis omnibus in primis ordinibus collocatis contra procedunt. Ad quos adpropinquantes distracti particulatim agrestes undique circumdant. In medio constituti provolutique ad Ducis pedes, rogantur: „Deditis ne vos

„posses-

„ poſſeſſiones, jura & quidquid fuit hactenus in „ veſtra poteſtate?„ Adfirmantibus illis, mox in teſtimonium pacis contra deditos tormenta ſuccenduntur omnia. Tum locutus in hunc modum præfectus militum dicitur.

„ Equidem compellare vos iis debebam titulis, „ quibus & a nobis hactenus & a majoribus „ noſtris ſemper fuiſtis compellati, probi, boni, „ fidi, chari. Sed res huc, prohdolor, veſtra „ quidem culpa, redacta eſt, ut nihil minus va- „ leam, quocirca vi quadam pertractus ad longe „ diverſiſſima nomina cogor maximo cum ani- „ mi dolore nuncupare, ſceleſtos, malignos, „ perfidos, odioſos. Igitur hæc triſtia prius „ inaudita vobis, animis accipite. Propter „ male acta, propter contumaciam & perjurium, „ propter rebellionem, quibus Dominos veſtros „ ſemper benevolentiſſimos, ac pientiſſimos „ laceſſiviſtis, omnia vos hodierno die perdi- „ diſſe jura: Libertatem omnem, qua præter „ cœteros in ſumma tranquillitate vixiſtis ad hoc „ temporis, amiſiſſe, futurosque ſervos, utpote „ vi & gladio debellatos, in poſterum longe „ miſerrimos. Neque vos ſoli tales eritis ſed „ etiam liberi, nepotes, totaque poſteritas ve- „ ſtra, quousque Bernenſium Civitas nomen „ ſuum retinebit. Contra vos, qui tam promta „ fuiſtis obedientia, qui tam egiſtis fortiter & „ honorifice, nomen atque laudem obedien- „ tium optimorumque virorum vobis ipſis & „ veſtris omnibus conſtabiliſtis, eritque res ea vo-

„ bis, liberis, nepotibus & qui sunt hos ipsos
„ secuturi tum bono, tum honori, donec Ber-
„ nensium Respubl. manebit incolumis.

Hæc ubi dicta vexillis primum ab hastis de-
diticiorum convulsis, & in culeum ad hoc præ-
paratum demissis, os culei funiculo præfectus
colligat. Deinde Jurium & Privilegiorum ta-
bellæ, totius rusticanæ Civitatis sigilla proferri
darique præfecto jubentur. Legibus tandem
dictis & jurejurando confirmatis, inermes &
capite nudato sub jugum mittuntur. Inobedien-
tiæ malo & alienæ voluntatis obsequio, re tam
insueta nostris in terris peracta, Dux captivis
aliquot, in principibus seditionis computatis
(é quorum numero Bartholomæus Drachselus
frater præpositi Interlacensis) in urbem dimissis,
& dediticiis abeundi facultate concessa, manet in
castris, quamvis anni tempore durissimo, prop-
ter rusticos Grindelwaldenses, qui jamdum per-
tinaces, neque dediti, neque dilapsi Lucernam
dimiserant, qui supplices opem invocarent, qua
de causa Lucernani commoti, quærunt sicunde
valeant, contrahere vires adversus homines tam
pravos, (pios sic vocabant) atque molestos.
Petunt itaque literis à Basiliensium Senatu, quo-
niam Tigurinorum & Bernensium nihil non sua
fide contaminantium importunam insolentiam
ferre diutius non possint, ut quia non ipsi so-
lum aberrent, sed etiam eos, quorum sibi non
minus intersit, quam istorum, in errores per-
trahant, palam dicant, quidnam de ipsorum
auxilio, si quid forte moliantur, sibi debeant
pro-

promittere: Ratum enim illud apud fe, fi denegaverint opem, antequam fic ludificatam pati velint Helvetiam, externorum quæfituros præfidia; nam habere compertum, haud quaquam iri fe deftitutum. Bafilienfes ponderatis convitiis in bonos viros calumniarum pleniffimis, cognitoque peffimo confilio ac minis iftorum improbiffimis, refpondent: Staturos fe fœderibus, præterea nihil, his præfertim iniquis temporibus. Dum Lucernani ceffant ergo, Grindelwaldenfes rebus defperatis, ne prorfus pereundum, conditionibus, uti priores, fe fubmittunt.

Compofita feditione feliciter ad reditum fe parans Urfus, præfidiis in oppido Sublacenfi & Thuni relictis, iter ingreditur. Urbem intrat die decima, quæ nona fuerat menfis Novembris, ex quo profectus fuerat. Gaudium ingens toti populo, quod hæ tantæ procellæ fic fe absque damno fuorum extenuaffent. Gloria non minor fuiffet, (nam præter figna quatuor Urfum ex more femper comitantia, & Haslienfium aquila, & Ægoceros Interlacenfium, vexilla capta, fequuntur,) nifi de membris caput deportaffet victoriam. Ita Deus cujus voluntate geruntur omnia, voluit, ut impiis ad pudorem correptis fine fanguine pii victores exifterent.

Injuria Sylvanorum adeo Bernensium offenderat animos, ut dies, noctesque cogitarent, quid, quoque modo agendum, ne quod peccarant impie, fic ablatum, exemplo foret in pofterum aliis contra commune foedus ad

tam atrociter delinquendum. Hic nemo non inftare, cui Reip. Bernenfis incolumitas, nec non totius Helvetiæ, curæ effet. Conftituunt ergo non quiefcere, donec de flagitio fit fatisfactum. Cum autem commune fœdus illud habeat, ne pars læfa vindicta lædentem profequatur, fed apud confœderatos reliquos ad judicium vocet, unanimiter vifum, legem fequi fœderis, prius tamen fcripto cum Sylvanis expoftulare de perjurio, de non fervato fœdere, de impenfis belli graviffimis, tum fignificare, de his omnibus ut velint fatisfieri fibi. Atque dum ifthæc agitant, legatio Argentinenfium Bafileam usque turmis equeftribus ob itineris periculum deducta, Bernam pacis faciendæ gratia, pietate jubente, ingreditur, ubi quidem excepta, & aliquot honorificentiffime diebus habita, quamvis ferius veniffet, tandem gratiis ob labores, & promptam voluntatem a Bernenfibus actis, contra vero ab Argentinenfibus omni ftudio & opera deinceps ad honeftatem promovendam pollicitis, rurfus iter domum verfus arripiunt. Eodem tempore & animo Rotvilenfes advenerant, fed omnibus ut acta fuerant cognitis, ad fuos fe recipiunt. Jam ubi, quod Bernenfibus decretum, emanare cœperat, Lucernani, Urii, Suitenfes, Tugini continuo Bernam accelerant pro Sylvanis interceffuri, fed repelluntur, tum quod adfectum illorum norant Bernenfes, tum quod ftabat fententia, fe Jure cum Sylvanis acturos. Quæ res quidem, quia præter morem evenerat, non medio-

mediocriter animos jam dictorum Capitum inquietos facit, abalienatis enim (ut putabant abalienatos) Bernenfibus vereri, ne quid in pofterum ea res ferret turbulentiæ, quod tamen non cavere, feu prævenire, quemadmodum debebant, utpote caufa malorum, fi qua futura, fatagunt: Verum cogitant, quo pacto præfentibus jam occurrere velint. Animos itaque illorum, quos averfos cognorant tentare, & eosdem in odium, ac invidiam excitare contra Tigurinos inprimis ftudio eft.

Quapropter literis jubent Stoccerum, Durgæanorum Præfectum, certum ad diem populum convocet, fe namque legationibus dimiffis hunc certiorem facturos, quidnam in animo habeant. Agit hic decorum egregie, quos vifum eft, vocat, reliquos præterit. Verum fatendum, non pars dimidia dicitur, quia non omnes negotio præpofito congruebant, adcerfita. Nobilitas rogatur, ne emaneat, nedum adeffe jubetur, hæc enim, ut Capitibus quinque nunquam adhuc in Papæ negotio defuerat, ita Tigurinis in Evangelio Chrifti nunquam adfuerat. Senatus ergo rem ubi comperit, parat & ipfe, tametfi non vocatus, legationem, veritatisque patrocinium, nec non eorum, quibus placet Evangelium, cum opis fuæ, quoad conftantiam intelligat, fideli pollicitatione, perquam diligenter commendat. Hæc ubi Frouuenfeldam (quæ fedes eft Durgæanorum Præfecti) fubintrarat, præter Uriorum legatum offendit neminem. Aliquot diebus expectat, in itinere

persuasa, quidpiam evenisse capitibus, quod impedire, non retinere tamen potuerit. Verum ad aures tandem pervenit, aliquo usque progressos, de Tigurinis accepto nuntio, mox retrocessisse. Qua re pro data occasione perpensa, nempe fuisse referturos omnia mendaciis, quia se praesentes exhorruerint emansisse, Tigurini multitudinem convenire, & quae in mandatis erant docere pergunt. Quod quidem ubi factum, adplausus continuo populi consecutus, in spem videlicet erecti, verbo coelesti se propediem nemine prohibente refectum iri. Nobilium legati populum declinantem videntes precatione solicitant, ne facta secessione majorum fidem abnegent, nam itidem & sibi decretum, omnes verò nervos intenturos, quò nihil mali vetus patiatur religio, pollicentur insuper effecturos, ne morem gessisse poenitere possit unquam. At superiorum injuriarum repetita memoria, quibus, si licuisset, tantum non mortem Nobilitas conflavisset, tum quia non nisi papisticae fidei precabatur concordiam, nihil populus movetur; in defensionem igitur Evangelii, quousque Deus vires suppeditet, unanimiter consentit. Haec Durgaeana separatio, Capitibus illis negotium facessit, quamobrem non multò post concilium in Mariae Virginis Eremum indicunt, ut perspecta Bernensium, & Sylvanorum disceptatione, de summa Reip. totius Helvetiae consultetur. Tigurinis dum idem denuntiatur, respondent, propter Sylvanos, suos & Bernensium communes hostes se non adfuturos, cum

his

his enim juridicum modo negotium eſſe. Tum ex itinere ad Eremum Baſilienſes & Scaphuſii Tigurum divertentes Senatui exponunt, ut adverſarii ſe pro arbitris in cauſa controverſa receperint, ſcire velle, quidnam ipſi ſentiant. Brevibus Senatus abſolvit, ſine Bernenſium, inquiens, apud quos jam legatione ſui fungantur, conſilio, nihil quicquam ſe facere, rem his tamen propoſiturum, & quod convenerit perſcripturum. Coitur Eremi ſedecima Novembris, quia vero præſto non erant Tigurini, publice nihil, quod ad rem ſit, agitur, arbitrium tantum æſtimandi litem Bernenſium & Sylvanorum Baſilienſibus, Scaphuſiis, Abbacellanis, & Curienſibus committitur.

Jam ante quoque digladiatio tam vehemens de verbo Domini apud Glareanos exarſerat, ut non ſemel concurſus ad arma formidatus eſſet. Hic ultrò petunt authoritati ſuæ locum arbitri, recipiuntque. Sed poſtquam ex arbitris judices facere ſe, ut quicquid ſtatuerent ratum haberetur, laborant, alteraque pars Glareanorum facile conſentiret, ea cui bonum Reip. & fides Evangelica cordi erat conſtanter reclamat: nam dolo, & fraude ne vinceretur, admodum vereri. Atque ne, ſi quid in futurum accideret, penitus omni carerent ſolatio, petunt à Tigurinorum Senatu præſtet, ne quid contra fœdera communia, contra jura, legesque patrias, contra præſcriptum Evangelicum pati cogantur. Senatus memor ſe ex olim pacto ſeorſim fœdere, non ſolùm è nuper inſtitutis præſidiis Glareanis obligari,

obligari, re condigne perpensa, promittit quicquid habeat virium, ne justitiæ cum hominum, tum Dei cursus ulla vi mortalium cohibeatur. His acceptis magno cum gaudio Glareani repedant ad suos. Priusquam aliud de jam dicta controversia concilium institueretur, à pensionariis, Abbatibus verè Cyrenaicis, & quicunque cum his seu familiaritate, seu aliquo sunt conjuncti ministerio, miseranda crudeliaque patrantur. Ab istorum protervitate Glareanorum ut cœpit dissensio, ita magis magisque indies augetur, adeo malignitas non quiescit, ne quidquam de solita vitæ petulantia decedat. Suitiæ boni viri de fide aliena, quia cultores æquitatis suspecti, male audire, minis exagitari, de vita periclitari coguntur. Lucernani propter levem de Christi verbo suspicionem captivos ducunt, tormentis examinant, multis premunt gravissimis. At inprimis dignum memoria propter insignem malitiam, quod Senatus Wilensis, Abbatem Sanctogallensem respiciens, designat. Verbi jacti semen Wilæ (oppidum id est Durgæanum prædicto subjectum Abbati) jam nonnihil suppullulare cœperat, quamvis acriter obnitentibus Abbatis Beneficiariis, ante omnes tamen Senatu. Die quodam igitur Evangelii verbum in totum abrogare meditatus, ad se congregat, quoscunque noverat ista labe (sic vocabat) conspersos. Vocati conjecturam facientes quid esset, quia persuasum erat, universos in conspectu Senatus simul constitutum iri, paciscuntur, ne quis à cognita, compertaque

taque veritate ne latum quidem capillum recedat. Verum Senatus opinione verſutior ſingulos vocat, hæreſim exprobrat, corripit, minatur, & demum indicta cauſa jusjurandum invito, coactoque dat, ne vanæ deinceps atque impiæ doctrinæ tribuat, ne vel conſilium, vel auxilium apud Tigurinos quærat, ne quod jurare ſit compulſus, efferat. Hoc pacto ſeorſim aliquot jam adjuratis, exeuntes ſenatulo, qui foris ſtabant, intuentur: accedunt, rogitant, quid triſtis vultus, quid taciturnitas, quid ſtupor velit? Tacent atque abeunt. Quæ res, quod impar erat pactioni, quinque jamdum reſtantibus anſam præbet, conſilium capiendi, quid ſibi faciendum. De integro pactum ineunt, conſtantes fore, quicquid accidat. Tandem vocantur intrò, habentur eodem, quo priores modo, devenitur ad jusjurandum. Hoc verò facere perquam conſtanter negant. Illis ergo ringentibus diſcedunt: Quapropter minæ tum in bona, tum in vitam conſequuntur. Ad Senatum Tigurinum non multo poſtea ſuppliciter decurrentes queruntur de injuria non ſine dolore fremituque audientium, facinus enim tetrum ac impium erat. Tigurini, Lucernani, Urii, Glareani duobus annis recurrentibus Capitaneum (quem dicunt) Abbati Sanctogallenſi tutelæ nomine viciſſim ſuppeditant. Ejus dimittendi vices Tigurinos jam attigerant. Hic dum parat proficiſci (Jacobo Phrygio nomen illi) mandatum accipit ex Senatus conſulto

poſſeſſio-

possessionibus exules restituendi. Tum si quispiam nocere quocunque modo reductis pertentaverit, non minis tantum, sed & supplicio vindicet. Ita consilium impiorum hominum, quo fuerant conati Salutis verbum, & conscientiarum medelam in cordibus piorum suffocare, per Dei potentiam deperiit, nam prorsus ea tempestate mandato Tigurinorum standum erat.

Interim ab Hasliensibus, quos perfidia, atque scelus erga patriam in exilium ejecerat, precibus Lucernanis & Suitensibus anxie sollicitatis, ut ipsorum opera sibi ad sua redire liceat, promissionibus suspenduntur, atque fraudantur, non quidem animo promittentium levi, sed impotentia. Bartholomæus Drachselus captivus ille Bernensium, de quo superius, proditionis patriæ condemnatus, propinquorum suppliciis, non quidem membratim (quæ pœna proditorum est apud Helvetios) eodem tempore scinditur, sed capite multatur. Cœteri dimittuntur. Quinque Capita se item erga gentem Durgæanam excusare parantes, & Tigurinis odium pertinaciter conflare, de novo legationem instruunt, quæ pro Concione Durgæanorum ista proponat: Quod externum intra fines illorum militem introducere cogitent, sibi falso, ac mendaciter à Tigurinis hostibus adscribi. Deinde multis ac decentibus ea re verbis amplificata, per ordinem, quæ sequuntur, postulet: Ne titulo veteris desertorum fidei (sic Pontificum Rom. adpellant

lant præscriptam religionem) velint commaculari. Si quis errore novam tenere fidem mordicus præsumpserit, Præfecto, tum à se dato, ne id impune feratur, præsentes adsint. Tandem, si bello quispiam malit hisce pravis temporibus, quam jure secum decernere, suppetias ferre prout debeant, non detrectent. Hæc si fecerint, omnes nervos expedituros, ne ingratis obsecundasse conqueri possint. Ergo multitudini congregatæ, postquam hæc sunt perorata, deliberatio fit, quid respondendum, noverat enim haud obscure, quod excusando legati primo declinarant, tam abesse à vero, quam verum esse constabat, paucis etiamnum diebus privatis eadem super re consiliis habitis legationem ad Ferdinandinos in animo jamjam instituisse. Quod autem duabus rogarant petitionibus non esse, quod verba præ se ferebant: nam fidei Constantiam requisitam, & supplicium contra novæ doctrinæ sectatores, istud clausum habere, ne posteaquam impietas & deformitas flagitiorum pro viribus eradicata forent, elaberentur quos hactenus cum Regibus & Principibus annuis persionibus commutarant. Postremo quod esset postulatum, adversum Tigurinos esse, quibus ipsi tamen ex æquo sunt adstricti. Pensatis hisce diligenter omnibus, statuunt tandem prius mortem, quam alienum exercitum in suo territorio perpessum iri. Doctrinæ Christi se prorsus vendicant. Et quoniam quidem pariter Tigurinis, Lucernanis, Uriis, Suitensibus,

Syl-

Sylvanis, Tuginis, & Glareanis ſint obligati, ſingulis officium ſe facturos confirmant. Iis pronuntiatis Concio dimittitur. Interea temporis concilio per fœderatos in decimum tertium Decembris indicto, coitur in oppido Badenſi; continenti biduo, de rebus neſcio quibus, conſultant absque Tigurinis & Bernenſibus, quamvis in oppido præſentibus: tandem accerſunt, coram conſtitutos rogant cur adſint? quid velint? Tum ira perciti magno cum ſtomacho rogant & ipſi, an ſeſe non evocaverint? An tam ſint nulla memoria, ut cur nam accerſierint, fugiat? Videri, ſe pro ſtupidis & pecoribus haberi: quousque tandem dignos putent, quibus ſic illudant? Certum eſſe debeat ergo, finem contemptus atque deluſionis propediem adfuturum. Veruntamen ne fruſtra tempus triverint, & ſumptibus indulſerint, ipſique neſciant, quid ſibi circa res præſentes in animo ſit, Tigurini priores, non ipſis clam eſſe, inquiunt, uti civitatem cum Bernenſibus fidei Chriſtianæ gratia conjunxerint: eam pactionem hoc poſtulare, ut utracunque partium eandem ob fidem, quod ſit absque dubio quam Deus fidei Largitor à ſuis repoſcat, prematur, altera pro virili præſtet, ſubſidium. Accidiſſe autem intolerabile quiddam Bernenſibus conſœderatis, & concivibus ſuis à Sylvanis, neminem eſſe, niſi mente defectum, qui poſſit inficiari: quamobrem uti prius evocantibus ſe per fœdus & civitatem proclives ad auxilium ferendum extiterint, ita nunc ſponte adeſſe,

adeſſe, quo doceant, omnia proſpera Bernenſium, & adverſa ſic ſua deputari, ut illorum ipſorum magis eſſe non valeant: adſuturos itaque ſe modis omnibus cauſæ Bernenſium tanquam ſuæ contra Sylvanos, idque velint conſilio non malo confœderatis eſſe quam teſtatiſſimum. Poſt hæc Bernenſes non multis verbis uſi, negotium ſcripto proponunt, cujus hæc fere contenta: Eo quod Sylvani turpiter, nefarie, impie ſe contra, fœderaque communia peccaverint, ſi velint, pacem ſequentibus conditionibus receptis, ac ſervatis comparari poſſe, nec aliter: In Conciliis, ubi de Helvetiorum publico tractabitur commodo, poſt hac non ſedeant. In Præfecturis communibus partem nullam obtineant. In fœdere, quod tam indignis contaminaverunt modis, ulterius non connumerentur. Et belli, cujus cauſam præbuerint, expenſas perſolvant. His auditis, & quam eſſent gravia ponderatis, nunquam, ajunt Confœderati, ſe putaſſe, Tigurinos, & Bernenſes tam acriter fuiſſe permotos contra Sylvanorum non recte cogitatam imprudentiam, adeoque in eos immiſericorditer ſtatuiſſe, qua de cauſa nihil ſuper hiſce domi rebus conſultatum, nec copiam ſibi datam, ut ex ſeſe ſtatuant quicquam, relaturos igitur ad ſuos omnia, & quicquid diligenti maturaque conſultatione fuerit in uſum utriusque partis inventum, ad diem tertiam Januarii (quæ poſt ſalutis initium erat anni M. D. XXIX.) renuntiaturos.

Illa dies dum expectatur, mira quadam ratione Deus verbi sui gloriam extollit, confirmatque: nam apud Basilienses quantumvis à bonis doctisque viris esset publice ac privatim pro Dei gratia contra papisticam vanitatem desudatum, usque tamen idolorum, Missæ, cœterarum rerum similium abominatio, sacrificorum, reclamantiumque theologorum impotens, sed pertinax, atque nocens, temeritas manere; inde simultates, odia, contentiones, convitia, blasphemiæ, pios inter ac impios exoriri, & pestilens invidia quicquid parere solet enasci. Senatum quoque malum istud invaserat. Pii piis in litibus cognoscendis, impii sui similibus magis favere, quo factum, ut justitia vim pati, cedereque locum extremis cogeretur flagitiis: nec multum aberat, quin omnis bonitas atque honestas funditus periissent. Hic nullum studium omittit, nullam diligentiam Joan. Oecolampadius Evangelii præco diligentissimus aliquando finis seditionum contingat. Nec minus cœteri præcones laborant, usque dum Spiritus ille cœlestis igniculum sui ardoris in cordibus fidelium ad audiendum exuscitaret. Ergo Senatum adeunt delecti ad hoc muneris, obnixius petunt, seditiosis concionatoribus vel os obturetur, vel doctrinæ rationem reddere jubeantur: nam alterutrum nisi fiat, & quidem brevi, timendum, ne quid damni Civitas accipiat. Senatus ut erat infectus, ita pravis consiliis nitebatur, unde subdole promittendo Cives spe bona repletos dimittit. Id tandem hi postquam intel-

intelligunt, revertuntur, quæque prius leniter, jam acerrime denuntiant, precibus adjectis tamen, Rempub. & ſe ipſos conſervare ſtudeant: Verum Senatus nihil mutatus à ſe ſpe bona, ſicut antea, ſuſpendit. Tum grex Epiſcopi cum univerſa clientela, neſcio quid mali verſaret, ex rerum, quas egerat, facie ſuſpicionem præbet, tanquam milites clam introductos in ædibus ſummorum Sacerdotum deliteſcentes cum armis contineat. Quod quidem bonis viris paſſim per Civitatem conquerentibus, magis iſti magisque pro flagitioſæ mentis ingenio commoventur, nam ea nocte, qua natalis memoria Chriſti celebratur, in armis ſunt. De improviſo civium quidam id (Deo procul dubio monente) reſciſcunt, alios e ſomno ſecunda vigilia circiter excitant, rem communicant, armis ſe muniunt, in publicum prodeunt. Poſtremus factionem intelligit Senatus, congregatur, conſultat. Quod quidem dum fit, concedunt pars utraque quo conveniebat, Pontificia in Spalenum vicum, atque trans Rhenum: Evangelica in domum hortulanorum (ita vocant). Ad hos primum Senatus adcelerat, magnis precibus, ut arma deponant, contendit, nam hoc impetrato, inquit, ſe reliqua diligenter ac pie curaturum omnia. Sed Senatus mollicie Pontificiorumque pravitate reputatis, conſtanter id facere negant, niſi prius, qui ſe ad arma compulerint & diſſipentur & dearmentur. Adit ergo Pontificios, de turbis concitatis graviter arguit, tandem ut res ſe habeat exponit,

& nisi jussis obtemperent, futurum ut in sese pertinaces sint, commemorat. Paucis ad sui defensionem dictis, ægre tametsi longe numero pauciores, Senatui obtemperant: Priusquam digrederentur, negotium totum certis quibusdam ab utraque parte delectis apud Senatum tractandum committunt. Duos e quavis curia, quæ tredecim numerantur, viros cordatos ac fideles potior cœtus legit. Alter qui sibi suoque proposito maxime videbantur accommodi. Cavebant utrique, nequid delectis cum Senatu præter multitudinis consensum statueretur. Dum hæc geruntur, legationes Tiguro, Berna, Argentorato, tumultus sedandi gratia Basileam adveniunt, nec multo post Lucerna, Uria, Suitia, Sylvania, Tugio ob eandem, uti prætexitur, causam. Liber illis ad Evangelicum cœtum accessus permittitur. Tametsi vero nec reliqui manent, nihil tamen ne verbo quidem præstant, quod ad pacem faciat. Primus tunc Jacobus Werdmyllerus Quæstor Tigurinus, multitudinem magna cum diligentia, gravitateque hortatur quietem agant, dum inquirat Senatus, quæ pacem communem spectent, turpe nanque futurum, si quid imprudentius aut tumultuosius committatur ab iis, qui de verbo Christi glorientur: Sperare se optima quæque, & maxime pia de Senatu, deque iis, quibus ipsi rei summam delegaverint. Quod ad ipsum adtineat, & ad eos, quos missos à Christianis civitatibus in præsentia conspiciant, dubium esse non debere, quin acturi sint,

quod

quod ad Concordiam Evangelii pertineat, quam accuratiſſime. Igitur ex relatione partium de verbo docendo atque de miſſando ſurſum deorſum agitur, donec in hunc modum conſenſum: Verba Novi, & Veteris Teſtamenti ab iis, quorum intereſt, ſinceriter & pro ſententia Spiritus Dei, non hominis quamvis eruditi ac ſancti prædicentur. Paſtores, ut hoc ipſum diligentius obſervetur per ſeptimanam ad doctrinæ rationem reddendam, ad conferendas Scripturas, ad inter ſe commonefaciendum de erratis ſemel congregentur. Sacerdotibus, Miſſas legant, vel negligant utcunque libitum, Sacerdotiis non mutatis, permittatur. Hæc inſtituta; quo commodius pronunciari poſſent, coire pietatis cultores in Minoritarum Cænobium jubentur: cœteri Dominicaſtrorum. Ad illos adiens precatur Senatus, ne ſequi recuſent, quod ſit perſcriptum, utilitatem enim conſecuturos, qua de perpetuo gaudeant. Tum Scriba legere mox incipit, quæ jam retulimus. Verum audito Miſſæ nomine, quidam e concione clamat: nunquam iſtud ſic fiet. Alius: Miſſam Papalem non tolerabimus. Reliquorum fremitus, velut adſenſum his exhibet. Negotium primum erat, ut ſtrepitus & murmur ſedaretur. Deinde Senatus amplius conſultat. Quod dum fit, ſermonibus variis in turba jactatis, tandem & ipſi conſultatione viſum eſt opus. Sententiis dictis communiter ſtatuunt, à libellis quibus petiverint à Senatu concordiam præconum verbi dominici, & Miſſæ abolitionem

non difcedendum. Quod fi fuerint, quorum pertinacia cœleftibus oraculis victa cedere nolit, ad fuffragia tum denique Confœderationis Helvetiæ recurrendum. Addunt, quia multi fint e parte diverfa, qui neque civium numero, neque civitatis juratorum cenfeantur, utpote Sacerdotes, famuli, fervi, hujusque gregis alii, fuffragiis ferendis hofce non admittendos. Senatus interim legatis comitantibus redit, plebifcitum audit. Verum quod partis alterius nondum erat his de rebus animus perfpectus, domos abire cœtus hic jubetur: Ad Pontificios tranfitur, mens illorum exponitur: refponfum petitur. Hic vero, quod Sacrofanctum Miffæ Sacrificium abrogari deberet, tonitrua conviciorum audiffes. Palam profitentur, vitam priusquam Miffam relicturos. Quod fi vim, inquiunt, & nos & animarum illud faluberrimum folatium pati cogemur, beneficiorum Sacerdotibus locum haud quaquam deinceps futurum. Senatus utrorumque mentibus jam fatis fuperque cognitis, & re diligentiffime perveftigata ponderataque, id agere cupiens potiffimum, quod æque placeret omnibus, decernit tandem, ut in templo Epifcopali, apud divum Petrum, apud divum Theodorum, fingulæ fingulis diebus legantur, nec plures, Miffæ. Piaculo tamen omittere ex iis careat. Et quod fæpius jam dictum, populo Dei verbum concorditer exponatur. Ab hinc dies tertius iterum ad loca fuperiora convocat omnes. Senatus dum expectatur, Oecolampadius e fuggeftu tam blan-

de

de, tamque pie (noverat enim quæ futura erant) ſuos adhortatur, ne magiſtratus & legatorum decreto, utpote quo meliore pro temporis conditione non queant uti, repugnent, omnia manſuete, placideque dicant, & faciant, ne propter ineptos, inconditosque mores Evangelium audire male cogatur, ut nemo non moveretur ad obſequendum. Sub hæc continuo Deum uno precantur ore, voluntatem ſuam in his tantis rebus benigniter aperiat. Adeſt cum legatis Senatus. Jacobus Meyerus Trib. pl. vir pius, & gratioſus, pauca, quo diligentius quæ perlegenda erant acciperent, præfatur. Subſequitur jam Decreti lectionem Scriba cum hoc adpendice, temporarium eſſe, quod ſit ſtatutum, metas enim diei feſti ſanctiſſ. Triadis non tranſiturum. Diſputationem in id tempus inſtitutam ex S. C. quæ turbis, ſi Deus voluerit, ſit finem poſitura, judicium enim fore penes populum credentem, ita ut per Curias de verbi victoria ſententiæ ſuffragiis reddantur. His prælectis, Leonardus Pulcher Bernenſis vir quæſtorius itidem e ſuggeſtu cum obedientiam, tum ut temporum rationi cedant, vehementer ingerit. Et Jacobus Sturmius Conſul Argentinenſium, vir genere, literis, & eloquentia clarus mirifice de rebus iisdem, & efficaciter dicit. Unde receptum populo, quod erat præſcriptum. Nonnullos male habebat tamen, diſputationis tempus ita promotum. Sed ferre oportebat, quod mutari non poterat. Antequam dilabuntur, gratias genu flexo Deo,

 cujus

cujus munere tam propitio fuerant usi, peragunt omnes. Itur è vestigio ad cœnobium Dominici, similiter agitur. Verum auditis, quæ jam illi receperant, adeo conviciari, blasphemare, tumultibus insanis omnia replere, ut putares ab Inferis in medium furias introlatas. Per vulnera Dei, inquiunt, tres Missæ si valent, omnes valent, una si fructu caret, omnes carent. Quin Missam in totum abrogatis, & ventris onera, si videtur, in templum egeritis? Hoc scilicet verborum nitore nullus locus non resplendescere. Ad ultimum silentio facto, per claudum quendam Oratorem pronuntiant, illam penitus apud se confirmatam sententiam, eodem loco, veneratione, celebritate, quibus hactenus, retinendam Missam, hoc excepto, nihil esse, de quo vel consultarint, vel consultari velint. Quibus Senatus, isthac voce percepta: „Nunc tandem pacis violatores pestilentissimos manifeste deprehendimus. Illi quibus non minus grave de proposito quicquam remittere, ut pax obtineri queat, totos se nobis dederunt: vos contra repugnatis, imo vilipenditis. Igitur liberum esto vel obedire, vel obniti, nam ita si pergitis, ne hujus quidem, quicquid malorum accidat, faciemus.„ His minis usque adeo terrentur, ut mitigato furoris impetu, nihil minus quam resisterent. Verum quid facerent in re prava tam pauci numero, Senatus præsidio denegato, contra tantam multitudinem, quadringenti contra ter mille? Nihilominus pertinax confidentia principio sic tumul-

tumultuari cœperat, forte quod ſpes erat Senatum non defuturum. Inſperatam itaque hæc turba nacta eſt finem.

Interea temporis concilium Badenſe nuper indictum, & habitum & finitum eſt. Animo ſibi Tigurini & Bernenſes perſuaſerant, Confœderatos vel tædio motos hic litem abſoluturos fuiſſe, verum ubi Sylvani jactant, id quod actum ſit, in uſum Bernenſium actum, ut de quibus non parum timuerint, quanvis incredibile cuipiam hoc ipſum videri poſſit, tamen eventum fuiſſe comprobaturum, ſi quid pars adverſa contra tentaviſſet: tum autem fundunt, ſibi de expenſis, quas horum cauſa ſuſceperint condignius debere ſatisfieri, & Confœderatis ſit veriſimile, tunc tandem indignabundi tacent. Confœderati ad ſuos illa tam ardua referre denuo ſtatuunt, atque poſt ſeptimanas treis eodem in loco, quod illis placitum fuerit, enunciare. Quia vero Tigurini cum Bernenſibus tam manifeſte ludificati, non multo poſtea cum Conſtantienſibus & Sanctogallenſibus Araugiam (quod oppidum eſt juxta Arulam fluvium in ditione Bernenſium) deliberatum congrediuntur, quid quove pacto cum vecordibus & perverſis hominibus foret agendum. Conveniunt rogandos Confœderatos contentionum finem ſtatuant, nam nolle diutius Sylvanis eſſe ludibrio. Hic iterum maleſanos quoſdam, & eos in poteſtate quidem conſtitutos, arguere rei, quam patrarunt, deformitate cogimur, non certe, quod dedecus illorum mihi ſit cordi, ve-

rum ut omnes intelligant, quo flagitiorum Deus verbi sui contemptores præcipitet. Milites Germanos sex (quos regionarios vulgo dicimus) ex Italia cum muliere per Alpes ad Urios penetrantes, postquam noscuntur, cujatesnam essent, e taberna vinaria Jacobus Trogerus primas Uriorum cum temulento suo globo violenter invadit, centum coronatis numis despoliat, nulla causa dicta, nisi quod forent regionarii: Nec mulierem sexus tueri, simile patitur. Quo facto, vinum ceu victores ovantes repetunt, consident, gloriantur, potant, non, inquam, ad ebrietatem, sed ad insaniam atque furorem, nam haud satis erat vino totos madere, nisi vomitu quoque sese invitando replessent, usque dum sanguinem unus ructitans prohiberet, ne non homines esse diutius pergerent, nam nullus sanguinem resorbere sustinebat. O tempora! Quis e majoribus olim induci potuisset, cum nihil non sanctum atque honestum, nihil non sobrium, inter gentem nostram liceret conspici, cum aurum & argentum in baculo palam circumgestari tuto per orbem celebraretur, tanta flagitia, tantam immanitatem, bestias tam crudeles e posteris exorituras, quæ homines sic impeterent, pecunia spoliarent, beneficiis benigni Dei tam abuterentur impie? Apud nos quidem id mirum non est, nam postquam didicimus homines non læsi, pecunia trahente, tam crudeliter occidere, vix fit, ut aliter agamus. Sed vide, quæ præmia consequantur præter fœda ista, quæ modo diximus.

ximus. Nemo Confœderatos olim non admirari, & colere, nemo nunc non extreme contemnit, atque odit. Nullus olim hoſtis accedere, quin victus turpiter diſcedere cogeretur, hodie nos ignominioſe vincimur. Olim ne fratribus quidem melius inter ipſos convenire, hodie proh dolor! tantæ diſſenſiones, inimicitiæ tantæ, ut nemo ſit, quin de concordia deſperaverit, ni cœlitus partes impiorum aliquando contundantur. Sed & proditionibus, re tam à noſtris majoribus aliena, quam ſimplicitas & rectitudo ſemper amica, feneſtra patefacta eſt: at quid? quid dico feneſtram patefactam? aguntur clam, aguntur aperte contra fidelem populum? Apud Curienſes Evangelii doctrina jam pridem recepta Paulum Intericium Epiſcopum an non ad proditionem civitatis Chriſtianæ ſtimulavit?

Is enim Evangelium pro majeſtate Pontificia tolerare nequiens, tentat ſi quo modo Curienſes opprimeret. Epiſcopatum nepoti, filio adoptivo Joannis Jacobi de Medicis, Caſtellani Muſſenſis arcis, vindicat, nimirum, ut hic (ut eſt omnium hominum crudeliſſimus, ac impiiſſimus) quod ſibi, tametſi prompto, difficilius eſſet, de illorum oppreſſione cogitaret. Oblata igitur eſt talis occaſio. Wolfius Theodericus filius Marquardi de Ems viri nobilis germani, & H. neptis Caſtellani matrimonio junguntur: Dies, quo ſponſus & ſponſa cum comitatu nuptias & nobilitatem decente ſe ſalutaturi & amplexuri convenirent, Curiæ Rhetorum, ſtatuitur. Adcelerat dies, adcelerat Wolfius cum

cum suis, sponsa moratur, ob nivem altissimam, quæ commodum ceciderat. Nuntius ergo dimittitur, ut festinent: qui postea quam in Splugenam vicum pervenerat, itinere nivibus conturbato, grandem adeo pecuniam viam munituris pollicetur, ut hospes miraretur: Is itaque dum simulat se conductum ire, queis via reparetur, efficit ut iste comprehendatur. Excutitur confestim, inveniuntur literæ, leguntur, cognoscitur proditionis consilium, quo Curienses Evangelii Candidati, multitudine congregata, noctu debebant ad unum interfici. Splugenenses Curiensium Senatum de his certiorem faciunt, nominatim exponunt proditionis suspectos, hortantur caveant, ne malum Civitas à pessimis latronibus perpetiatur. Inter hos principes nominantur Episcopus, Theodulus Schlegelius Abbas ad Sanctum Lucium, aliquot ex scribarum genere, Hertegenius Salius, & Georgius Schlegelius Abbatis propinquus. Consilio habito capitur Abbas cum duobus aliis Curiæ, postremi re nuntiata prehenduntur ab Engadinis. Episcopus elapsus fuerat. Proditionis jam fama volante, plebs ab omnibus partibus & extra oppidum & intra concurrit armata, noxios ad supplicium deposcit, initur consilium, Abbas e catenis plebe pro criminis atrocitate tumultuante conjicitur in carcerem, ex vinculis causam dicere compellitur, fatetur proditionem, condemnatur ut patriæ proditor. Propinquis datur, quod extra portas loco solito capite plectitur. Reliqui post multa gra-

viaque

viaque tormenta, quod nihil extorqueretur proditionem arguens dimittuntur. Res miſera lachrymisque digna, Chriſtianorum huc recidiſſe ſtatum, ut ii, quos fidei ſummates, quaſique duces hactenus judicavimus, hoſtes eſſe Dei teterrimos factis ſuis convincantur. Non enim hoc tantum loco videmus quid tentent, ſed per totum orbem Chriſtianum. Cædes, bella, proditiones ab aliquot jam annis graſſantes, unde nam accidunt, præterquam à ficte religioſis primatibus? Quibus ad eas res armis inſtruuntur, niſi pecunia, quam ex eorum ſuxerunt laboribus in quorum perniciem ea ſceleſtiſſime nunc abutuntur? Quamvis autem hæc vel ſole ſint clariora, populus tamen multis in locis volens non intelligit, Papæ regnum terræ bona conſumere, & animas per tyrannidem ad Plutonem demittere, præterea nihil. At caveant monemus diligenter, ne ſeductis per ventris animalia, Scriptorum quorundam adulatione, quidpiam gravius (ſi quid gravius, quam veritate Dei contempta credere mendacio, atque in eo conſiſtere pertinaciter, eſſe poteſt) olim ſit perpetiendum.

Jam iterum in oppido Badenſi legati Confœderatorum, prima videlicet Februarii die, congregantur. Adſunt Sylvani tanquam encœnia celebraturi ramis coronati fagineis, laſciviunt, clamant, exultant, ludum, non ſerium quoddam futurum putaſſes. Illud volebant, de Sylva ſe eſſe duros, fortes, invicta ſicuti majores robora, nam hi quondam ſimiliter ornati bellicis

bellicis temporibus in expeditionem profecti commemorantur. Contemptum esse Tigurinorum & Bernensium plerique tamen interpretantur. Ad considentes jam igitur introire pernegant, ni prius ejiciantur Sylvani. Mos gestus est. Tum verò de novo super omnibus Sylvani, quæ sæpius audita sunt, accusantur gravissime, petitur controversiæ finis, videri namque conctantius omnia, quam res ferat, perque sui contemptum agi, deinceps id tolerare nec posse, nec velle, quamobrem rogatos velint, quod justum est in oculis habeant, vestigiis majorum insistentes judicent, ne quando si tumultus ingruerit ipsorum culpa verius, quam utilius ingruisse dicatur. Tunc Sylvani, quæ superius dixerant obliti, si quid, inquiunt, mali factum sit, à petulantibus ac temerariis factum, id autem à Bernensibus bonis, & innocentibus viris adscribi nequaquam justum esse, constare itaque & se habere, quo de Bernenses accusare possent, verum ob pacem & concordiam velle potius, quicquid acciderit ab utrisque, boni consuli. Hic Basilienses, Scaphusii, Abbacellenses, & Curienses Confœderatorum voluntate & sententia de causa tanquam severi, pravis omnibus consiliis remotis, deliberare cœperunt, at ubi consulta pronuntiantur, vel cœco patebant, quæ præcucurrissent, perniciosæ deliberationes. Ad hunc modum enim pronuntiant: Postquam diligenter expenderint omnia, cognoverintque, si huc aut illuc judicio declinarent, ad dissolvendam

id

id in perpetuum totius Confœderationis amicitiam ſpectaturum, illud ceu medium quoddam utiliſſimum viſum, ſi utrique poſthac eo loco & honore, quo fuerint hactenus, & ſint, & habeantur: tum quicquid ſit expenſum is ferat, qui expenderit. (Mirum profecto, ſi quæ ſcribimus, fidem apud poſteros ſint inventura.) Bernenſes iſta tam nefaria præter expectationem accipientes domum ad Senatum referre conſtituunt. Tigurini taciti juſta nimis ira commoti diſcedunt. Ab reliquis concilium in ſeptimum diem Martii ſtatuitur.

Sic in Helvetiis hac tempeſtate regitur: nam adeo ſunt omnia corrupta, clandeſtiniſque conſiliis referta, ut Evangelium ſuos habeat inſidiatores, nedum juſtitia humana. Equidem in hac ſum prorſus ſententia, quoad ſol hic gyrum ſuum confecerit, juſtitiam nec Dei, nec hujus ſæculi tam aperto Marte nos unquam impugnaſſe, cum interim tamen à legatorum Chriſti temporibus neutra fuerit aut clarior aut potentior. Hoc autem uti cum aliis populis, & iis multis participamus, ita illud ceu peculiare deplorandum videtur, quod usque adeo receſſimus à majorum tum moribus, tum prudentia, ut neque fortitudine & probitate vitæ, neque bonis rectisque conſiliis eos repræſentemus. Fortitudinem quis illorum non eſt expertus, qui poſſeſſionibus eos exturbare violenter aliquando tentavit? Et aſylum juſtitiæ tantum non ab omnibus ſunt olim dicti. Quoties autem conſultandum erat de rebus vel maximis, pedibus

con-

convenientes, Tigurinis, Bernenſibus, & Lucernanis exceptis, negotium fuerat quatuor aut quinque horarum, quibus recte & feliciter invenerant, atque diſpoſuerant omnia. Contra vis omnis noſtra conſiſtit in voluptate, juſtitia in defenſione ceremoniarum Pontificis Rom., prudentia in rebus privatis, nam de publico dum conſulturi coimus, bone Deus, equorum quanto numero, quantis pecuniarum ſumptibus, quot item conventionibus opus eſt? Cum interea tamen nihil expediatur. Hæc ad paucos pertinere, & eos primarios, non eſt, ut tacendo prætercam, ne quis ſtatim me (quamvis in commune dixerim) contra totam gentem loquutum exiſtimet, non enim neſcire poſſum, quam ſimplex vulgi turba, quam ad omnem honeſtatem prona, ſi duces forent. Oligarchi ſunt, quos contra ſermonis hujus fertur querimonia, homines ocioſi, bonis aliorum inhiantes, dominandi cupidi, quorum conatum ni Deus per vim aliquando peſſum dederit, futurum videmus, ut quicquid boni, honeſti, laudis majores pepererint unquam, adeo ſit periturum, ut ne memoria quidem ulla poſteritati relinquatur.

Hic nos iterum inſtitutum concilium manebimus referendis rebus, quas tempus tulit interea. Circiter ſextum Idus Februarias de novo Baſileæ tumultus excitatur. Stare conventis enim dum pars pontificia turpiter ipſo facto recuſat, docendo videlicet hominis verbo, tractandis conſiliis praviſſimis, minitando quoque, perni-

perniciem ſuturam iſtis brevi, qui ſtarent ex adverſo, conſilium, quibus Evangelium erat cordi, de parienda quiete capiunt. Quod autem dum fit, rumoreque perdiſcitur, Henricus Meltingerus præfectus urbanus clanculum ſe cum comite quarto, neſcio quo malo Conſcientiæ tactus, navigio per Rhenum, naviculario Joanne Serrario Sacrifico, ſubtrahit. Tum demum, quia palam viderant, impio concedere, pejorem eſſe reddere, libere decernunt, idola templis emota comburenda, demoliendas aras, & ex fanis Dæmoniorum fana Domini conſtituenda ubi nil niſi Verbum Spiritus tractaretur, cum Sacramentis à Chriſto relictis, ſi quando ſuus inter ipſos Deo poſſet honor reſtitui. Compluribus locis igitur ad ædem epiſcopalem incendiis paratis imagines perduntur omnes, ut per quas plebs Chriſtianorum hactenus fuiſſet in perniciosiſſimam idololatriam miſere deturbata. Fama tumultus jam percrebuerat, quamobrem denuo legatio Tigurinorum & Bernenſium advolat, verum quod actum erat de miſſa & idolis, de cribrando Senatu, præſentibus his cœptum eſt agi. Quatuordecim, quos compertum erat & Evangelium odiſſe, & hactenus in cauſa fuiſſe, ne, quæ ſunt Dei, promoveri potuerint, Senatu moventur, & alii in locum ſubſtituuntur, unde Status Reip. Baſilienſis adeo fieri tranquillus & augeſcere divinus cultus, ut nemo bonus non videret, quur Deus diſputationem inſtitutam hoc modo præveniſſet.

Hic & Sylvani timorene, an quod monstrum alerent, consuetudinem hac tempestate veterem, qua sex hebdomadibus tribusque diebus orare continenter bellicis temporibus consueverunt, redintegrant. Modus orandi talis est: Vici deputati vel in templum, vel in domum aliquam capaciorem, certus hominum numerus congregatur, atque dum tempus est quini, seu deni pro numeri facultate genu flexo, manibus expansis orationem Domini cum angelica Salutatione quinquies reciprocant, quo facto mox alii succedunt & numero, & precatione pares, id ita continuatur deinceps die noctuque, donec nemo est ejus loci, qui non hac ratione pensum absolverit. Hoc idem ut inter homines, sic inter vicos habet successionem, usque dum temporis jam dictum spatium fuerit expletum. Cavetur inprimis, ne qua penitus orandi fiat intermissio. Victoriam de hoste præter cætera sic impetrare volunt. Longas vocant has preces, nam & breves habent, sed communes cum Uriis, & Suitensibus, quibus de nihil in præsens. Has finitas continuo militum consequitur delectus, qui quidem quorsum pertineret, tamdiu Tigurinos & Bernenses latuerat, dum quæ jam dicemus in propatulum exiissent.

Quinque dicta Capita, quæ homines desperatissimi solent, id agunt. Postquam enim vident fortunam suam in præceps inclinatam, nova, stupenda, nefaria tentant, quæ nescio, si quis amans patriæ vel legere, vel audire sine lachrymis, imo sine gravi stomacho & execra-

execratione valeat. Consultant in oppido Lucerna, Suevicam nobilitatem an liceat cum exercitu contra Tigurinos & Bernenses in terram patriam introducere, atque dum visum est licere, decretum fit, ut eo dimittantur legati, qui certiores de animi sui faciant sententia. Vellcircum oppidulum est trans Rhenum supra lacum Acromum, finitimum Helvetiis & Rhetis fœderatis, sub ditione Ferdinandi principis. Huc Ferdinandi legatos ad Colloquium placet adcersi, quo facto, deligunt, quos mittant Jacobum Ferrium Lucernani, Gasparem Hofensem Urii, Josephum Montanum Suitenses, Joannem ad Lapidem Sylvani, Joan. Georgium Stratarium Tugini. Proficiscentes nepos castellani Mussensis comitatur. Ubi ventum est prope Vesenium oppidulum Suitensium, & Glareanorum, nuper vanitate papistica relicta Christo lucrifactum, Montanus cum nepote Vesenio per lacum, per Sanacasenses, ob metum Curiensium noctu separatim pertranseunt, tandem iterum congressi, decima quarta Februarii simul oppidum magno cum strepitu petunt, & intrant. Legatos principis offendunt, D. Rodolphum Comitem de Sultz, D. Marquardum de Ems, Gulielmum Richenbachium Doctorem, & quosdam alios. Sequentibus diebus in cœnobio conveniunt divi Joannis, nemine, cujus non referret, admisso, quo tractari possent omnia quàm tectissime. Hic tum aliorum jussu docuisse fertur Josephus Montanus, ad colloquendum

se motos, quod sint, qui veterem suam ac indubiam fidem erga Deum contemnant, rejiciant, & pedibus conculcent, imò & se quoque conentur eo contemptionis pertrahere, idque tam insolenter ac imperiose, ut tolerare, nisi per summam ignominiam, diutius non queant. Verum cum sint imbecilliores ob paucitatem, quam ut istorum multitudinem indies magis magisque gliscentem prohibere, seu reprimere valeant, audierint vero, partimque cognorint, quam agat per Germaniam passim sereniss. princeps Ferdinandus strenuiter christiane, pro subsidio valde supplices adesse, ne fidei majorum contra conscientiam vestigia relinquere cogantur, atque ita Deum & animarum salutem veluti pro nihilo ducere, spe perquam firma serenitatem principis petisse, qua si frustrentur, apud se de re Christiana penitus actum esse. Consilio super hac petitione habito, Ferdinandini rogant, copiane sit à populo data sic secum agendi? Cumque respondissent, quod agerent, apud quemvis etiam ratum futurum, incandescunt tamquam illudentibus, & ferociam objectant, qua contra majestatem Cæsaream, nobilitatem & gentem Suevicam usque præ cœteris mortalibus utantur in bellis, qua fidem sine populi consensu Cæsari datam servaverint unquam. Sed & fœdus Francicum atque id quidem severius exprobrant, utpote quod etsi semper, tamen ea tempestate nimium ob recens inter Cæsarem & Gallorum Regem bellum adversaretur, quocirca redire jubent unde

unde advenerint, nam aliter, inquiunt, dum in hoc fœdere perfiftitis, nec fieri, nec refponderi poteft. Ab his concilium dimittitur. Poftero die precibus aditu fupplicibus iterum impetrato, fe purgare, flentesque rogitare cœperunt, memoriam anteactorum deponant, ad promptitudinem & fidem futuram refpiciant, tales enim fore, quales effe deceat viros. Nequid verò conquerantur de fœdere cum Rege Gallorum, polliceri millia quinque, fi morem gefferint, virorum fortium, quibus uti quocunque cafu pro fententia poffint. Ad fummam nihil non facturos, tantum in his anguftiis auxilium ne negent. Ferdinandini Spiram hæc ad Concilium principum (quod erat indictum ad nonas Martias) fe delaturos pollicentur, interea jubent, ipfi poteftatem à populo, quo tuto fidere poffint, comparent, ne forte quondam ea res fibi fraudi futura fit. Digrediuntur, hofpiti pro fœderatis fatisfit, præterea nihil, quod quam effet infuave, atque infuetum his, noverunt, qui gentis hujus fummatium morem, non à majoribus defumptum, fed nuper adfcitum, perfpectum habent. His, quantumvis obtegerentur, cognitis à Tigurinorum Senatu, confiderataque plebis ad perditionem fuam facilitate, qua credere mendaciis à capitibus quinque contra fe fine modo jactatis, cum ipfi tamen integre, fideliter, & fecundum Deum egiffent hactenus omnia, toleraffentque convitia, & maledicta longè fœdiffima, cum ut pax & tranquillitas publica conftare poffet, tum ob

nominis Dei Sanctificationem, ne plebs hæreret diutius, nec patientia sua de cœtero fieret suspectior, visum est satis superque toleratum, quocirca statuit quantis injuriis ac contumeliis contra se multo jam tempore foret actum, stanneis literis descriptum in lucem extrudere. Digestum id per articulos viginti quinque sic ferè habet:

I. Non semel petiisse Tigurinos à quinque Capitum primoribus, ut colloqui liceat vel cum toto Senatu, vel cum populo, verum id impetrare, contra vim communis fœderis, potuisse nunquam.

II. A sex Capitum legatis quibusdam (Friburgenses accesserant) nomine duodecim è Concilio Lucernæ peracto literis clam Tigurinorum subjectos sollicitatos, ne fœderi Francico se vehementius opponant, imò potius Dominos suos urgeant, ne se tum à capitibus, tum à fœdere sejungant. Hanc impulsionem contra jus Gentium, nedum contra commune fœdus pugnare queruntur.

III. Nunquam permissum, ut è plebe Tigurina quis ausus fuerit tueri famam inter illos communem dicendo, hæretici non sumus, imò vero tolerandum invitis, ut à parochianis publice, & à magistratibus per mandata in vulgus edita hæreticorum adpellatione contaminarentur, etsi cum prætextu Zinglianæ fidei, cum certum sit non hominis cujuspiam, sed solius Dei verbo Tigurinos credere.

IV. Dispu-

IV. Diſputationem illos Badenſem poſt multam Senatus Tigurini ſollicitationem, nec non Concionatorum preces, haud quaquam in locum omnibus æquum, quo hi ſe tamen adventuros libenter profeſſi fuerant, ſtatuere voluiſſe. Tum Joannem Eccium, & Joannem Fabrum Dei, & laudatiſſimæ Civitatis Helvetiorum hoſtes acerrimos, ejus Diſputationis ordinatos coryphæos extitiſſe.

V. Eadem tempeſtate literas ad Tigurinenſium quoſdam perſcriptas, ab illis interceptas, reſignatas, & Fabro, quod Latinæ erant, ad interpretandum & faſificandum permiſſas. Ibi non ſolum fœdera, fraternam charitatem, & vicinitatis jura, ſed & Gentium violata.

VI. Senatores Tigurinos ſæpenumero profectos ad publica Concilia nunquam non conviitiis ac minis petitos oneratosque, tum in os fidem eorum hæreticam criminatam.

VII. Senatores, item Concionatores imprudentibus fœdisque cantionibus & ludis cum alibi, tum Lucernæ contemptos.

VIII. Joſephum Montanum id temporis Durgæanorum Præfectum clam Tigurinis (quibus jus eſt tamen in Durgæanos cum aliis par, quorumque juratus iſte pariter exiſtit) M. Joannem Bovillum capi nocturnis tenebris, & abduci commiſiſſe, id quod de hoſtibus nunquam veriti ſint Tigurini. Dixiſſe verò prius, certo ſcire, tumultum inde futurum. Itingenſe negotium enim hinc enatum.

IX. Quinque Capitum Legatos Itingensis altercationis tempore pepigisse cum Ferdinandinis, ut invicem captivos remittant, quoscunque persugio transiisse propter fidem in alterutrius terram compererint. Ea de causa Josephum Montanum viros treis bonos & pios à se captos ex communi Jurisdictione Cellam trans Rhenum ad ultimum supplicium tradidisse. Commonitio fit hic obiter, eam rem altius cordi Fœderatorum cuivis imprimendam, quod innocentes, qui pro justitia semper ad majores nostros confugientes præsentissimum invenerint auxilium, sic jam per summam injuriam suis reddantur occisoribus. Quod si neque Deum, neque justitiam respicere velimus, exemplum fugiendum tamen, ne consuetudo tam prava terram nostram possideat.

X. Paulum Kerngerterum arbitrum in Itingensi disceptatione communi voto delectum, conquestum esse publicè, Suitensium quosdam minitatos, si sententia declinaverit ad Tigurinos, sibi caveat. Tigurinos id per patientiam tolerasse: Suitenses ferocientes istos impunitos transiisse.

XI. Ex Uriis certas personas mercatorem Sabaudiensem mercibus aliquot millium nummorum aureorum dispoliasse, cumque Tigurini cum aliis fœderatorum capitibus in publicis conciliis id factum non semel fideliter ac severiter accusarint, effecerintque ut ablatum restitui præceptum fuerit, non solum hoc infrugiferum, sed miserum illum adhuc gravioribus impen-

sis

fis injectum ad fummam paupertatem redactum effe. Reticemus, inquiunt, hic, quod Germanis quibusdam militibus apud Urios paucis diebus accidit.

XII. Tigurinæ civitatis Infignia, quæ ut caput honore, nomine, ftirpe magnum, & omnibus modis laude dignum hactenus ufurpaverit, ab iftis temerarium in modum, ac infolenter e feneftris aliquoties deturbata & comminuta.

XIII. Cum per temporum vices antiquo more fœdera jurejurando quafi redintegrari confirmarique debuiffent, Tigurinos contra vim fœderum, immerito, per fummam injuriam fegregatos, nec Sacramentum eis datum, nec ab eis acceptum. Unde facile fit intelligi, fœderibus ftare confœderatis in animo neutiquam fuiffe. Præftaturus aliquid, jurare non recufat, non jurans conftitutum habet nimirum, præftare nolle.

XIV. Omnes appellationes, teftium adhibitiones, caufas judiciarias ad Tigurinos cum communibus Capitibus, quamvis ad illos inprimis pertinentes, clam ipfis tamen, prout vifum eft, abfolutas.

XV. Reditus Tigurinorum, item Cœnobiorum, Sacerdotiorum, Collegiorum ad hos fpectantium, qui debentur ex Præfecturis, Comitatibus, Dominiis communibus interdictos, & contra fœdera violenter detentos.

XVI. Sacerdotibus Conftantienfium qui cives funt Tigurinorum, bona, contra pacatio-

nes omnes & conventa, tum contra Concilii Principum Germaniæ Spiræ celebrati conſultum publicum, per edictum jamdum intercepta teneri.

XVII. Neminem latere Murneri monachi deteſtandam maledicentiam, quam effuderit in tabula illa calendaria, in veteri urſo, de dentium effractione, & jam demum in libellis tribus quatuorve convitioſiſſimis, qui ex oppido Lucernano publicentur omnes: ubi quidem non certi ſolum, ſed univerſi ſimul à minimo ad ſummum & dehonorentur, & diffamentur indigniſſimè. Cum fœdera tamen illud contineant, corporis & bonorum omnium vires Confœderatos habere conjunctas debere, nec tolerare, qui famam pergat denigrare cujuſpiam. Iſtos interim, ut ſit, quo ſe purgent aliquo pacto, libellos quoſdam ludicros, certas perſonas taxantes, tanquam à Tigurinis editos, quod verum tamen non ſit, cum eis, à quibus tota gens inuritur, comparare conari.

XVIII. Poſtquam Eccius malignam contemptionem diſputationis Bernenſis in lucem dediſſet, Epiſcopum Conſtantienſem eorum libellorum faſcem Lucernam demiſiſſe, legatosque, qui tum illic fuerint, non absque jubilo grandi paſſim eosdem ipſos diſperſiſſe.

XIX. Illos oppidula circumpoſita ſæpius monuiſſe, diligenter ſibi caveant, nam clancularium oppreſſionem & occupationem eſſe Tigurinis in animo. Qua re nihil aliud quam mi-

ſeros

ſeros impenſis oneratos haud neceſſariis, nam hujus rei Tigurinis in mentem nunquam veniſſe.

XX. Ut Ægidius Animoſus Suitenſium Amanus Tigurinorum legatis, qui Senatu Suitenſium citatore legitimi advenerant conſultores Eremum, ſuperbè ferociterque comminatus ſit malum, hoc autem apud ſuos impunè tuliſſe.

XXI. Capita, quorum nomina ſciantur, occupationem Mellingi, & Bremgarti, communis ditionis oppidorum, tentaviſſe tum, cum Sylvani ſublato ſigno cum omnibus, qui ferre poterant arma, contra fœdera, contra honeſtatem, contra jus omne, bello non indicto, contra fidem, & laborem à Confœderatis pace ſimul & bello exantlatis, in ditionem Bernenſium impreſſionem fecerint.

XXII. Hæc jam memoratu poſtquam publicis conciliis ſint agitari cœpta, talem auditam eſſe purgationem: Vera quidem eſſe dici, ſed parum æquè dijudicari, nam hæc facta ſibi animo, ut Tigurini & Bernenſes convenire poſſent. Et erant tamen à Bernenſibus ii pariter cum aliis contra fœdifragos Sylvanos ad auxilium pro vi fœderum evocati.

XXIII. Sylvanos, non æſtu quodam (id quod tamen nimium fuiſſet) ſed matura conſultatione, poſtquam jam dehortati fuerant, ſeſe proripuiſſe. Bernenſes enim non ita multo ante Legatos dimiſiſſe Præfectum urbis cum Senatoribus ſeptem, qui precarentur enixè, monerentque graviter, caverent, nequid ageretur iniquius. Verum hos ipſos ita verbis, factoque

que tractatos, ut sine malo evasisse, lucrum putarent.

XXIV. Ut è Capitibus quidam scriptis, legatisque dimissis, per conciones suorum Tigurinos accusent, tanquam iniquius & violentius agant cum Durgæanis, convocatos, inquiunt, amoliri cogunt, & simulachra & Missam tam imperiose, ut Præfectus in publico tuto versari non queat. Falso, autem & mendaciter hæc esse de Tigurinis conficta, nec boni nec veri amantem tale quidpiam dicturum unquam. Veruntamen ut nemo nesciat, quid & quo modo sit actum, sic animadvertendum: Suffragiis postquam evictum sit apud Rhenivallenses, Roschachinos, Arbonenses, Durgæanos; & alibi, verbi divini mysterium ut purè sibi & sine rationalis captus explicatione traderetur, misisse legationem ad Tigurinos petitum, hac in re ceu primi Capitum & summi, tum consilio tum re subveniant: Tigurinos, prout decuerit, pollicitos auxilium adversus omnes, qui verbum ab illis prohibere conaturi sint, hac lege tamen, ne solvere, quæ debeant, abnegent, sive reditus hi, sive tributa, sive decimæ, sive quid aliud fuerit. Neminem itaque compulisse, ut mendacissimè deferantur, imò nec quæ jam dicta sunt facturos fuisse, ni prius illi de divinis rebus consentientes ad eos (ut auditum est) adiissent.

XXV. Utcunque Ferdinandini seu Cæsariani culpati sint à quinque Capitibus tanquam hostes hæreditarii totius Helvetiorum Civitatis, adeo

ut

ut Tigurini compulſi nuper legationem urbe Cæſaream ejecerint, tamen eadem Capita a reliquis ſe Confœderatis ſponte ſeparaviſſe: decima quarta nempe Februarii cum uno Dominorum Muſſenſium (qui non multo ante cum Confœderatis, tum Rhetis Confœderatorum ſociis gravius, quam vix alius æque potens quisquam, nocuerint) per Urios deducto, per Suitenſes, denique per lacum Valliſtadienſem, oppidulum Vellcircum pompoſius ſimul ingreſſos eſſe, cum Muſſenſi, Cæſarianisque pepegiſſe, nec non domitare Veſenios, & Gaſtalenſes, ſeque munire contra novam fidem (ita vocant fidem Evangelii) prorſus ſtatuiſſe, illud cupientes, exercitum eorum, quos olim hoſtiliſſimos adpellarint, in fines noſtros introducere. Quæ res ex Confœderatis optimo cuique non graviſſime quidem dolere non poſſit.

His articulis (ita vocamus) per Tigurinam ditionem auditis, mirum quam plebs infremuerit; devoveritque ſe dominis ſuis pientiſſimis contra quinque Capitum infelicem audaciam: cognoverat enim quam eſſent omnia ficta, quæ dicta forent in ipſos, & e diverſo quam omnia, quæ hactenus egiſſent, in rebus vitaque hominum reformandis, piè & ad communem egiſſent utilitatem; nihil ergo promittunt in futurum ſe pro gloria Dei ac Dominorum ſuorum detrectaturos.

Jam tandem in manus iterum intermiſſam hactenus Bernenſium & Sylvanorum controverſiam ſumemus. Septimo die Martii coitio ſuperius

perius inftituta in oppidum Badenfe peragitur. Poftridie Tigurinis per literas fignificant Bernenfes, Sylvanos fe de expenfis audituros (hoc prius negaverant) dummodo perfidiam, & quod egerint contra fœdera confiteantur, quamobrem velint Salodorum adcelerent, eo namque vocatos omnes Confœderatos, exceptis quibus Ferdinandus amicus placet. In Badenfi concilio Bernenfium legati pertinaciter in hoc funt, ut Sylvani contra jus, & fas ditionem fuam fublatis petiffe fignis agnofcant, quod nifi factum fuerit, nihil de impenfis belli fe remiffuros. Verum confilio habito concedunt huc reliqui, confeftim ut arbitri Bernam contendant deprecatum, hanc acerbitatem confodiant, vel ut minimum aliquid deducant, non decere, tam laudato fœdere nexos jus profequi pertinacius, hoftium id effe, non fratrum, quo titulo tamen usque adhuc gloriati fint: quapropter fic agant, ne primi fraternitatis illud vinculum rupiffe dicantur. Deinde, ut omnes vigefimo die Martii, fi finis tantarum litium inveniri tandem queat, iterum adfint, conftituunt. Salodori autem à fubdolis & nominetenus Chriftianis Bernenfibus fub boni fpecie nihil agitur, quod non tendat ad juftitiæ divinæ fubverfionem: verum reclamant Tigurinorum legati tam conftanter, ut impietatis confilium, etfi non oppreffum, tamen repreffum aliquantum fuerit.

Inter hæc pars major Bremgartinorum per Spiritum Dei monita Senatum Tigurinum precatur, efficiat, ut & fibi commodo verbi liceat

ceat frui. Exauditis continuo deſtinantur, qui pro illis precibus ſedulo proſequantur omnia. Senatus autem Bremgartinus, qui usque divinis monitis hactenus obſtrepuerat, auxilium Capitum quinque, quo fortius reniti poſſit, invocat. Adſunt legati, ſtrenuè pro ſuis depugnant, ſed fruſtra: nam ſuffragiis illud obtentum, ut Evangelium doceatur, & quicquid Scripturæ Dei ſit conſentaneum; permittitur tamen Papæ Sectatoribus, ceremoniarum uſus interim inconcuſſus. Negotium Senatui datur, ut populus & doctum & probum nanciſcatur paſtorem, qui doctrina & exemplo, quod eſt pium, exhibeat. Verbis quoque ſolatii plenis D. Henricus Walderus urbis Tigurinæ Præfectus, legatorum alter, hortatur bono ſint animo, nam Senatus ſi ſecus atque promiſerit agere pergat, Tigurum recta conqueſtum properent, abunde per Dei ſubſidium ſatisfactum iri. Sed octo poſt diebus plebs paſtore jamdum carens promiſſorum blande Senatum admonet: Is blandius adhuc rogitat, aliquantiſper maneat, propediem futurum, ut nihil ſit prorſus, quo de digne conqueratur, conatus verborum involucris ſimplicibus imponere: nam clanculariis conſiliis pravisque nihil ex ſententia plebi caſurum ſperaverat. Verum pii dolum olfacientes, è veſtigio Senatui Tigurino, quod obvenerit, denuntiant, petuntque promiſſa repræſententur, ſuos enim nec ſervaſſe, nec ſervaturos quicquam. Remittitur itaque Jo. Suiterus ſignifer ſummus apud Tigurinos, & moribus & ſenio

gravis,

gravis, brevibusque jubetur id agere, quod expetant, qui Deo ſint devoti. Poſt multam digladiationem illud tandem conficitur, ut populus conquirat, undecunque valeat, præconem verbi, ne cibum hunc eſurientes fruſtrentur diutius. Paucis diebus Sacrificus ob Evangelium ab Hitzkilchio vico ſex Capitibus communi pulſus Bremgartum venit, exceptus in concionem tollitur, atque uti placebat optimis quibusque, ſic diſplicebat Senatui; novus ergo tumultus exoritur, cujus quidem quod plebs in Jo. Honeggerum Scultetum culpam omnem conjicit, inſtat ut magiſtratu privetur, renituntur alii, fit pugna verborum acris, dum pars Senatorum ejuſmodi verba mittit: Ite, ſi libitum fuerit, & conſilium, ubi conſueviſtis, petite, nos enim ad Capita quinque refugiemus. Plebs nihil procraſtinans Senatui Tigurino confeſtim, ut acta fuerant, ſignificat omnia, ſatisque rei indignitate propoſita, denuo precatur, ut ſeſe tandem ex impietatis tyrannide liberet, plus ſatis enim à malignis eſſe jam hominibus exagitatos. Non aliter pars altera pro ſe quoque facit. Ergo Tigurini poſteaquam conſtitit animis agi contra pietatem devotis, Suitero committunt accuratius malo reſiſtat, quousque pervicerit, videri namque, quid adverſarii machinentur. Hoc idem paulo poſt Nicolaus Brunnerus audit, nam hunc ſequitur protinus, ubi erat animadverſum Capitum legatos adventaſſe. Aguntur multo labore multa, ut fit, ſed in caſſum, nam eò res tandem pervenit, ut in armis

partes

partes contra ſe ſtarent minaciter. Tum verò legatis Capitum officium intercedendi, quibus de cauſis neſcio, ſubterfugientibus, Suiterus cum Brunnero ſeſe inter agmina conjiciunt, fortiterque ne concurrant prohibent. Tandem Joan. Major Haſius Lucernenſis vocatus pro viribus agit, quod virum decet, usque dum huc iterum ventum eſt, ut Sacrificus modo dictus Evangelium doceat adusque feſtum Divi Marci, tum ſimul omnes paſtorem ſibi, & Reip. Chriſtianæ legant accommodum, qui quæ pacis ſunt, tum divinæ, tum humanæ perquam diligenter inculcet, & exemplo ſpecioſo doctrinam exornet. At vide per Deum, quid moliatur impietas? Tigurinis abeuntibus, Capita manent, deſtinato numerus augeſcit, donec quadraginta præter legatos ſceleratiſſimi conveniſſent: in ædibus Honeggeri lecti conſultant de primoribus quibusdam, è quibus erat --- Mutſchlius Scultetus (proh flagitium) vir innocens, ac pius, tollendis. Ad hanc conſultandi malitiam moverat, quod ſciebant, amiſſo loco (tametſi nihil amittebant, præter imperium fidei,) expeditum fore Tigurinis, & Bernenſibus, congreſſum, dein ita circumcluſos ab Evangelio, ut exitus deficeret. Ad Senatum Tigurinum hæc referuntur poſtridie, remittitur Brunnerus cum Urbis Quæſtore, mandatur ut è re Chriſti & plebis agant omnia. Id quod tam obeunt alacriter, quam ſolent, quibus cum Deo per Conſcientiam convenit quam optimè. Dum in cæteris objiciunt Capitibus,

non ſtetiſſe Conventis, non eſſet autem, quod hi reſponderent, nominatum Sacrificum inceſſere convitiis cœperunt, hominem nequam eſſe palam profitentes convicturos. Tum Brunnerus: „Nos virum bonum judicamus, & ob „eam cauſam à vobis malè audit. Quod ſi fur „eſſet, ut veſter ille Dominicanus, Papæ „defenſor, Tigurinorum oſor, defenderetis, „non conviciaremini? Sed utcunque ſit, quia „virum notatis, deſinat ab Evangelio, quoad „judicio fuerit hæc res compoſita.„ Prodit Suiterus item (nam & hic re poſtulante miſſus poſt illos fuerat) cum Mutſchlio, & paucis aliis è proceribus. „Accipimus, inquit, Con„fœderati, necem vos, neſcio qua temeritate, „bonis viris, iis inquam, quos coram videtis, „meditari, non alia de cauſa, niſi quod Evan„gelii Chriſti promovendi fuerint & ſint auctores. „Illud igitur volumus in animum reponatis, ſi „vel capillum velleritis, in ultionem nos vi„reis omnes abſumpturos: Stat enim ſententia, „juſtitiam Evangelii nos, & omnes quibus hæc „eadem placuerit, dum virtus ſuppeditabitur, „fortiter defenſuros.„ Inter illa pagani qui debent oppido, ſynceriorem Bremgartinorum partem adhortantur, ut ſint conſtantes, acriterque malo repugnent, ſe etenim quicquid largitus ſit Deus roboris pro Chriſti verbo & omnis æquitatis conſervatione daturos. Solatio piis ad hunc modum comparato, diſceſſum eſt; Quod reliquum erat, concilio proximo Badenſi reſervatum.

In

In his motibus à Senatu Bernenſium Tigurini fiunt certiores, Arbitros apud ſe multis gravibusque rogaſſe verbis, ut mitiores ac leniores ſe præbeant erga Sylvanos. Tum altius repetiſſe, quæ proſpera, quæque adverſa quondam una pertulerint, & in poſterum adhuc ſint perferenda, quibus conſideratis concordiam diſcordiæ, pacem bello præferendam admonuiſſe, tam hæc autem inculcaſſe fortiter, ut tandem pervicerint. Ergo pacis commoditate perpenſa, tum ne ſuam ob culpam fœdera tam vetuſta, laudabiliaque fortaſſis violarentur, non ſine gaudio communium hoſtium, illis ſe condonaſſe omnia, modo ſibi de expenſis ſatisfiat; de iis verò judicium audituros. Quæ quidem res quur peſſime Tigurinos haberet, in cauſa ſunt præcipue fœdus Evangelii nuper factum, & articuli ſuperius in lucem editi, quibus Sylvani propter Bernenſes non certe vulgariter perſtringuntur. Ergo frequentibus decretum Sententiis, ut ---- Blarerus in Concilio Badenſi (nam & hoc jamjam cœperat) ab agendo legatum Bernenſium prohibeat. Rodulphus Dumiſius & Huldrichus Funccius extemplo Bernam contendant demonſtratum, quam egerint parum decore quocunque tandem prætextu, nam auferre impunè Sylvanos ad exemplum poſterorum debere nunquam, quod tam turpiter deſignarint. Quibus perfectis illic nihil actum, hinc relatum, pacem ſe cum Sylvanis habituros, cujus rei cauſa propediem reddita ſperent Tigurinis nihil ſuperfuturum, quod merito reprehendant.

 Lucer-

Lucernani, Suitenſes, Sylvani quod malum aut cogitaverant aliis, aut timuerant ab aliis, ad ſuperorum pro ſua religione favorem conciliandum animum advertunt, ſupplicationes quoque ſeorſim inſtituentes ad D. Virginem Eremitanam, ut ea filium pro fide ſua, ne concutiatur, aut maculam concipiat aliquam, ſed maneat penitus, qualis in hanc usque diem extitiſſet, precetur. Tum ne hoſtium incurſionibus patriam devaſtari, vel ſe ſuperari permittat. Nec patiatur Majeſtatis ipſius Nomen ab adverſariis deinceps, ut jam aliquanto tempore, contaminari: reſpiciat verò, quam hoc idem ſit celebre atque magnum apud ſe, nihil enim eſſe, quo in adverſis confidentius refugiant, quocirca ne ſuos deſerat, & in his rebus omnibus in aciem ipſius conſtituat auxilium, depoſcunt. Votum ſolvunt. Suitenſes primi, deinde Lucernani, poſtrema venit Sylvania. Lucernanis meis quod incommodius ſucceſſit, libet eorum paulo pluribus meminiſſe. Dux & auſpex devotionis erat Thomas Murnerus ea tempeſtate (neſcio quo fato) Plebejanus, viri Senatores, & plebeji ſingulis è domibus comitantur, Sacerdotes omnes, præter eos, qui miſſas ordinarias, & horas, quas canonicas vocant, in collegio perſolvere cogebantur. Inter eundum morbus juvenes quoſdam & robuſtos viros tam acriter corripit, ut domum vehiculo reducendi forent. Adfirmarunt quidam temulentos fuiſſe, id quod vel ob hanc cauſam non credimus, quod vini tum uſus per

Senatus

Senatus edictum fuerat prohibitus. Collegii Præpofitus brachium frangit, læditque cadendo latus, ut diu decumbendum effet. Mulieribus intereffe pompæ, non licebat, fed Arbicenum viculum ad bis mille paffus ab oppido diffidentem, ubi virgini Templum facrum eft, adeunt. Adjunctus Sacrificulus Leodegarius à puero notus mihi, poftquam rem divinam perfecerat, falutatis mulierculis, atque domum remiffis, viros fupplicantes tranfcenfo monte fubfequitur. In itinere non ita procul à Fano fit obviam virguncula ruftica, hanc malo dæmone tentante, conftuprare vi parat, & ni agreftes fuperveniffent, viciffe putant. Fugatus ergo cœptum iter fua quadam devotione profequitur. Hæc ut fcribam, non aliam habent rationem, quam ut intelligatur, infeliciter cadere, quicquid cœptum fuerit contra Deum. Tum ne lateat pietas religionis principium, nam ut tegantur aliquoties adfectus, ne tu videas, tamen fic intus æftuant, ut exeundi rima quantulacunque data, ferantur tanto cum impetu, quo facile quisque percipiat, ex quanam colluvie profundantur.

Eodem tempore Bafilienfes, Mulhufii, & Bielenfes in civitatem adfcribuntur à Tigurinis, & Bernenfibus, juramento publicè Tiguri accepto pro confuetudine. Quibus dum civitas omnis cœna gratularetur pro curia, nos pariter intereramus. Fama tum perlatum ad Tigurinos, Lucernanos & Tuginos navigio per Rufam delatos furtivam occupationem tentaturos effe,

 quam-

quamobrem præſidio juxta Ruſam diſpoſito, ſi quis quidpiam eſſet conaturus, ut exciperetur, Senatus Ducem & ſigniferum legit Bremgartinis, ſuppetias, atque rem omnem ad hos perſcribens, tum cautiores tum alacriores ad omnia reddit. Interim Mellingenſes, idola delubris exturbata pyræque ſuperinjecta combuſſerant, unde ne quid horroris ex Capitum minis ob rectè factum conciperent, per Georgium Aureolum Tigurinum fideli ſolatio confirmantur. Id temporis Franciſcus Geisberger Abbas Sanctogallenſis moritur. Verum quod timebatur, ne quid Tigurini cum Abbati ſubjectis ante ſuffectum alium de rebus novandis eſſent moturi, cadaver, qui id è re præſente putarant eſſe, celant, dum de morte Lucernani & Suitenſes poſſent fieri certiores. Hi ergo convenientes Abbatem novum Rapperſuilæ neque more neque jure, clam Tigurinis & Glareanis eligunt; quamvis ea tempeſtate Tigurini vice ſua Capitaneum, ad bonorum Abbatis tutelam Sanctogalli habent. Sed & hoc ignorante, quæ jam dicta ſunt, omnia tranſacta. Ad libidinem ubi nihil non eſt confectum, tunc tandem Abbatem eſſe priorem defunctum, alium ſubrogatum Capitaneo denuntiant, veniatque jubent ad audiendum, is quid fieri velit. Ut auditum de Abbate ſubrogato, bone Deus, quæ admiratio, qui ſtupor, quæ cogitationes, qui ſermones? Attamen quod factum infectum reddi non licebat, id agit Capitaneus quod poterat & congruebat, fraudem Senatui Tigurino renun-

tiat:

tiat: qui quidem pariter ubi ſatis ſtupuit dictorum Capitum dolos inſatiabiles, viſum eſt tandem deliberare cum Sanctogallenſibus, hic quid factu ſit optimum.

Bernenſes inter hæc legatos mittunt, qui cum in Urbe Tigurina Senatum majorem congregaſſent, verborum illecebris & argumentis ex Evangelio Chriſti decerptis, ad horam ferè ſermone protracto, conantur pacem cum Sylvanis & injuriarum condonationem perſuadere, adeo commendantes interim Chriſtianiſſimam arbitrorum exhortationem, ut quicquam abnuere, dicerent, niſi fœdiſſimo crimine, haud potuiſſent: neque dubium eſſe, quin ſi eosdem audiant, idem quod ipſi fuerint, facturos: agant itaque ne quid imprudentius commiſiſſe Bernenſes, & ipſi, dum pacem recuſent, nominetenus Evangelium jactare culpentur. Sed quod docti jam Tigurini fucum eſſe, quicquid dictum erat, cognoverant, poſt conſultationem non usque adeo longam jubent conſuli mirum, quam unanimiter, ut verbis diſertis reſpondeat, exponendo quibus in rebus à juſto deviarint, & ſe etiam quodammodo fefellerint, id quod tamen non quidem omnibus, ſed audaci quorundam impotentiæ tribuant. Inſuper pacem iſtam cum fœdifragis & impiis ideo ſe nolle, quod pœna ſint, non pace digni. Tandem fœdus Evangelicum, ut ulla ex parte violetur, ſe nunquam commiſſuros. His ita peractis, Bernenſes literas hujus reſponſionis teſtes petunt, quas plebi propediem convocandæ

proponant. Verum Senatus, quod esset contra morem, id abnuit, petit autem uti se vocent ad proxima plebis comitia, tum enim apertius omnia demonstraturos, & populum, ut verè sentiat, nimirum persuasuros. Ita re, quam moliti fuerant Bernenses, infecta, discedendum erat.

Digrediendum iterum paulisper ad temeraria quædam flagitia, quibus animum Suitenses in Tigurinos acerbitatis plenissimum comprobarunt plus satis. Martinus Geisserus dum jubet impiissimè maledicendo, Henrichum Remium civem Tigurinum Lanium, profectum, ut pro consueto jumenta compararet, decedere Suitia, ni verbera malit, efficit ut & alii diris cum execrationibus hominem nequam, hæreticum, fidei desertorem criminentur, atque è medio discedere compellant, ac subornandus foret tandem per magistratus quosdam, qui per devios tramites & innoxium & innocentem in tutum deduceret. Remius ergo statim ut Tigurum pervenit de injuria questum adit Senatum. Senatus quia sibi factam interpretatur, literas mittit ad Suitenses in hanc fermè sententiam: „ Cognovisse quidem se, contumaces quosdam „ & insolentes iniquius sui gratia civem Tigurinum tractasse, quapropter velle, pœnam ut „ ii persolvant condignam. Quod si minus fiat, „ insuper autem malo quispiam eorum à suis „ adficiatur, velle jam se suum honorem habere defensum. „ Hac clausula postrema Confœderati suis hostibus bellum hactenus indixerunt.

runt. At Suitenſes ut Evangelii diſciplinam, ita piorum ſcriptionem contemptim negligunt. Matthias item Figlius, ejusdem gentis, in Villis ad Lacum Tigurinum è regione Rapperſuilæ præfectus, mendacio peſſimo conatus dominorum juſſu concitare ſubjectos ſibi contra Tigurinos, (nam his videbantur nonnihil favere) Trecentos, inquit, Tigurini milites armatos „introducere noctu Bremgartum ad oppidum „occupandum & vendicandum, præter jus & „fœdus paucis ante diebus tentaverunt, ſed per „divinum auxilium repulſi diſcedere coacti ſunt. „En impii quæ moliantur? Debebam Confœ-„deratos appellare fidos & charos, verum haud „poſſum ſceleratiſſima facta dum intueor. Con-„ſiderate vos itaque libertatem veſtram, atque „tuemini, nec paternæ religionis veſtigia de-„ſerite: nam illud certum, ſi permiſeritis, ut „iſtorum vobis vivendi ratio credendive pla-„ceat, non ſolum paribus flagitiis vos immer-„ſum iri, ſed damnum, quod nunc ignoratis, „multo graviſſimum incurſuros." Veruntamen hominis vaniſſimi mendacium, neſcio quibus ſit auribus acceptum, paucis poſt diebus Villani quatuor è ſuis inſtruunt, qui Senatum Suitenſem hujusmodi conveniant verbis: ſe facile quidem perpeſſuros eſſe quicquid agant, modo Tigurinos contra nihil hoſtiliter moveant, nam neutiquam tolerabile ſibi, tale quidpiam adverſus panarium ſuum adtentari.

Dum hæc patrantur, Arbitri ſoli, ſi quid deliberando ſuccurrat tandem, quod ſæpe jam

dictam Controversiam dirimere possit, in oppido Badensi conveniunt. Quod quidem dum fit, præfecti quoque Sanctogallenses ambo Tigurum adcelerant, Senatum admonent, compertum habere, quam Capita quinque pertinaciter cum Austriacis agant, ut fides nova pessum detur, nam ejus occasione, prætendere, Tigurinos & Bernenses dominationem in se parare, hanc vero rem tam vehementer abominari, ut Austriacis vendicari malint: quod si quis dicto fidem habere noluerit, obsidibus confirmaturos. His cognitis deliguntur, qui rem ad arbitros perferant, sed profectis in itinere fiunt obviam, nam inventum putabant, quod negotium esset finiturum. Simul itaque Tigurum repetentes, postridie pari, qua Bernæ, contentione petunt arbitri pax ut inita Bernensibus à Tigurinis quoque firmetur, non enim esse fœdam, inhonestam, impiam, negligenter cogitatam, ut ipsi literis nuper ad se complexi sint (quæ res non parum doluerit, utpote nonnihil honori suo derogans) sed honestam, & piam, quam si recipiant, id laturam, quod pacis sit, nempe quietem, & auctum omnis boni. Responsione dilata in proximum diem, ubi jam omnes denuo convenissent, Consul in hunc modum effatur: „Ex Senatus decreto non aliter de pace „respondere, quam sit responsum Bernensi„bus, hanc quia sit impia, locum apud se „prorsus nullum habituram. Quod verò titu„lis non bonis eandem adpellaverint, ad arbi„tros nihil adtinere, non enim se clam esse,

„quos

„ quos labores ſubierint, quam diligentiam exhibuerint, quos ſumptus exhauſerint, & quo „ hæc omnia fecerint animo, ſi quid, quod „ contentionem finiret, reperire poſſent: ſed „ ad eos potius, qui cauſam dederint, cur res „ per ſe tam honeſta tamque omnibus expetenda, ſic malè cogatur audire. Verum tempus jam eſſe, quo ſe tandem aperiant, ne „ conſtantia ſua pertinaciæ perpetuo ferat appellationem; dicturum enim, quæ ſi ſciant, „ in hunc usque diem eſſe nimium aſtute diſſimulata: Sin ignorent, nihil minus decere, „ nempe arbitros eſſe. Quinque Capitum legatos contra ſe cum Auſtriacis ſuperioribus iniſſe „ diebus conſilia, quæ bonis inſidias & vitæ „ ſuæ moliantur: Tametſi verò priori petitioni „ fœdus Francicum nonnihil obfuerit (nam fides ob id ipſum non poterat haberi) tamen „ alteri adjectas lachrymas, & pollicitationem quinque millium militum, quibus uti liceret pro libitu, tantum confeciſſe, ut jamjam ad oppidum Waldshut pro reſponſo ſuper rebus „ petitis accipiendo conceſſerint. Hæc verò „ graviora, quam ut ſemper ſuſtinere valeant, „ quamobrem aliquando præcipitanda. Quamvis interim aliud nihil in animo ſit, quam „ diligenter fœdere ſervato ſic vitia pellere, & „ ſi fieri poſſit extirpare, ut ſpem concipiant „ omnes, antiquam patriæ probitatem & ſtatum priſtinum, id eſt, optimum aliquando „ rediturum. Nec eſſe curæ ſibi admodum, „ quod primores Capitum è diverſo mendaciter

„ ſuis

„ suis inculcent, Tigurinis principatum in se „ constitutum, nam Deo, piisque constare, „ quam omnis hujusmodi cogitatus sint penitus „ expertes. Hæc igitur in causa esse præter pec- „ cata Sylvanorum, cur pacem, non quidem „ cum plebe, sed cum Oligarchis tam Sylva- „ norum, quam reliquorum Capitum prorsus „ rejiciant: sed & cum plebe, quatenus pau- „ corum potentiæ subscriptura patriam liberta- „ tem secum restituendam suscipere contemnat.„ His dictis, quod multa jam dies præterierat, consensum ut horis pomeridianis arbitri cum designatis aliquot curiam repetentes quærant, si quo modo vitari tumultus possit. Quo facto placuit ob negotii difficultatem, ut in vicesimum secundum diem Aprilis omnes, exceptis Capitibus istis, fœderati Tigurum reversi pro totius Helvetiæ Repub. consilia capessant. Tigurini quia rebus tam dubiis viderunt providendum sibi, proximum in diem iterum Senatu convocato ducem faciunt Georgium Bergerum, & omnia, quæ ad expeditionem pertinent, disponunt. Jam dum verò considentibus literæ redduntur, quibus pacem cum Sylvanis pactam Bernenses omnino renuntiant, causantes iterum jam fidem ab his fractam, nam apud Oratores Ferdinandinos in Waldshut æque nunc, atque prius in fidei Christi perniciem agitare consilia: quamobrem placere, ut quam primum ad se veniant, quo rem una perspicientes damnum præcaveant. Arbitri confestim Tiguro thermarum oppidum repetierant, nescio quid interim sive boni, sive mali reperissent.

Schieſerus Glareanus in Urbis tranſitu literas omnium nomine Senatui repræſentat, quæ petierant, à tumultuando ſe Tigurini cohibeant usque ad aſcenſionem Domini, aliquid fortaſſe tum dari, quod rerum omnium tranquillitatem adferat. Et literæ & tabellarius ſuſpecti veluti calcar adjiciunt, ut ad bellicum adparatum ſpectantia diligentius adhuc comparentur. Simul deliguntur D. Conhardus Commendator Cusnacenſis, & D. Franciſcus Zinggius, viri doctrina, & pietate præſtabiles, ut Domini verbo militum animos, ſi proficiſcendum eſſet, à fœdis militantium, crudelibusque moribus continerent, ne quis, ut ſunt homines dicaces, effutiat, Tigurinos pietatis titulo bellum geſſiſſe minus piè. Eo ipſo die (nempe 2. Aprilis) concordia inter cives Bremgartinos (nam illo fuerat iterum, impietate tumultuante, proterviter itum) quietem pollicebatur ad feſtum usque Divi Marci, tum de ſimulachris, de Miſſa, deque novo paſtore ſtatuendum. Capitum in digrediendo legati, neſcio quid verſantes ceſſant, verum ubi Senatus ſe poſthac vel citra ipſorum operam pacatos futuros oſtenderet, abeunt. Lucernani tamen adhuc differunt, donec Bernenſes, quam par erat, ſerius oppidum introeuntes in conſpectum perveniunt, tum mox conſcenſis equis remeant ad ſuos.

Hac turbatione durante, pars dimidia legatorum quinque Capitum ex Waldshut domum remittitur, quod etiam dum plebe non rogata pacto cum Ferdinandinis imminebant, his vero ſine

ſine plebis conſenſu nihil ſtatuere certum erat, adeo nullam habebant fidem, quantumvis multa pollicitantibus. Hic tandem materia fraudibus & mendaciis agendi cum miſera plebe Capitum Oligarchis oblata, quæ tacuerant hactenus fateri cogebat, id quod dum aperte non auderent (quis enim hujusmodi vocem ex plebe ferre potuiſſet? Percutiamus cum Auſtriacis fœdus, ne Tigurinis & Bernenſibus propoſito ſuo vincentibus, mores, & totam vitæ rationem ad majorum regulam mutare cogamur.) Hoc inquam, dum apertis verbis non liceret, fraudulentis agere, nempe poſteaquam Tigurinos & Bernenſes temeritatis non pœniteat, ſed in dies magis magisque & ſibi, & ſuis eſſe moleſti pergant, fidem obtrudere, dominationem ni, quod placeat, agant, minitari, à majorum inſtitutis, quibus hactenus & honeſte, & feliciter degerint abſtrahere non deſiſtant: ſe autem ſuis ſolius viribus contra ire non poſſe cum ob paucitatem, tum quod patria ſua ſit finibus iſtorum ex omni parte circumſeſſa, poſt multam, & difficilem cogitationem huc conſiliorum tandem veniſſe, ut fœdus cum Ferdinando rege, Principum Chriſtianiſſimo, ſtrenuiſſimoque paſſim ſubcreſcentis hæreſeως extirpatore feriant, ſi ſic demum ab iſtorum queant eſſe tutiores violentia. Hanc rem ſecundo jam Ferdinandinis expoſuiſſe, tantumque confeciſſe, ut ſi plebs adnuerit, eam ipſam effectam habituros. Hoc inſuper fœderis non ſe proferre, niſi quousque jam audiverint, quocirca nihil eſſe penitus quod verean-

vereantur: contra innumera, quæ jubeant ſperare quam optimé, inter prima verò quietem & pacem. Hucusque tempus in cauſa fuiſſe, cur hæc plebi, qua clam nihil egerint unquam, non fuerint detecta, nunc datum, quamobrem ſcire ſit neceſſe, quid ea quoque ſentiat. Rogatos itaque velle, diligentiam ſuam in re communi promovenda reſpiciant: deinde ne committant, ut ab hactenus ſervatis eccleſiæ ritibus abarceantur, & quo facilius id poſſint, fœdus cum Ferdinando ipſorum cauſa cœptum recipiant, ita nempe futurum brevi, ut intelligant, quid ſit, poteſtati bene, & honeſte conſulenti geſſiſſe morem. Ad hunc modum ubi ſinguli cum ſuis egerant, nemo quicquam contradicere, præterquam inter Tuginos Chamenſes, & primo conatu Lucernanæ ditionis omnes; binis etenim è ſingulis præfecturis in oppidum dimiſſis operam ſubjectorum promittunt debitam, verùm haud ferre poſſe Suevicum exercitum in ſuo territorio. Sed mox aliis conventibus inſtitutis verborum illecebris traducuntur. Voti compotes oligarchi effecti Ferdinandinos repetunt, quodque cœperant, perficiunt. Hac eadem tempeſtate ex bonis viris & pietatis ſtudioſis accipit Senatus Tigurinus, in principum Germaniæ conventu, qui Spiræ tum agebatur, ſeorſim conſpirationem à Ferdinando & quibusdam aliis, imprimis verò, quibus religioſorum adpellatio tributa eſt hactenus, cum quinque Capitibus tractatam adverſus Chriſtianæ factionis Civitates Tigurum, Bernam, Baſileam, &

reliquas,

reliquas, ut Missa tandem postliminio restituatur, Eucharistiæ Sacramento pristinus & usus, & honos redeat, tum ——— Salmancam hominem Hispanum adfuturum propediem cum sigillo Ferdinandino, qui conspirationem confirmet. Hic Tigurinis, reliquisque Civitatibus dolebat imprimis, Confœderatos tam alta cæcitate percussos, ut non intelligerent, quod faciebant, in perniciem ipsis tandem cessurum, etiamsi victoriam contra se quondam obtinuerint. Non enim id ab Austriacis agi, quod adpareret, sed tectum esse, quod toti minaretur Helvetiæ periculum, discordiam hos inter nos velle, si forte jam à multis annis vindicta quæsita de Confœderatis aliquando potiri possent. De Carolo & Ferdinando certum est, à pædagogis olim viris profecto non sinceris imbutos odii veneno & ultionis adfectu contra Helvetios ob Carolum Burgundiæ Ducem occisum. Quid putas? Annon interim occasionem manserint aliquam, qua pro voto satisfieri potuisset? Hac non inventa, nos ecce præsto adsumus ultro porrigentes, quod tam abfuit, ut nobis concordia pollentibus invenissent, quam terram, quod ajunt, volare. Sed hanc stultam mentem satis graviter, tantum intelligant, Deus multavit, ut mox audiemus.

Disseminatum erat ab iis, quibus Tigurinorum successus admodum dolebat, & Evangelii splendor oculos perstringebat discordiam esse Tigurinos inter & Bernenses, qua re moti vehementer Durgæani conventum indicunt, ut quo modo se

ſe gerere debeant, conſultent, iis enim diſſidentibus, qui in re tam nova principes erant, ſubverebantur, ne fortaſſis agerent imprudentius, ſi deinceps aut hos, aut illos, ut hactenus utrosque, ſequerentur: maximè quod quinque Capitibus usque huc in ratione fidei repugnaſſent. Congregatis itaque, & de re dicta ſermoni cœpto legatio Tigurinorum ſupervenit, nam caſu cognorant de novo per homines mendaces aliquid quod turbas cieret conflatum. Hæc poſteaquam rei veritatem expoſuiſſet, mirum quam omnes inde refecti gauderent, alius alium monere, ne deinceps faciles ad credendum vagis rumoribus eſſent. Videre quoque, aiebant, eſſe, qui nihil aliud, quam diſſenſionem inter pios cogitarent, ejuſmodi cavendos inter ſeſe ſuadere. Priusquam digrederentur, unanimiter legatis & Deo promittunt omnem humanam pro divinis rebus tuendis operam, dein quod in ipſis ſit, ut miles externus vel pedem in ſuos fines ingerat, nunquam permiſſuros, tandem ſex millia militum conſtituunt, qui ad quodvis temporis momentum ſint in promptu.

Sub idem tempus à paganis Melſianis, qui ſunt ſub Præfectura Sanæcaſæ tam eſt ſuppliciter petitus pro verbi doctore Senatus Tigurinus, ut jure nihil negare poſſet. Deducitur continuo per duos legatos Jodocus Kilchmeierus Vir doctus & pius, vernaculus noſter, & penitus ſortis ejuſdem, ob ſaniorem enim doctrinam, quam pueros ego, populum ille docueramus,

neutrum patria valuit sustinere. Mandarunt quoque Lucernani & Suitenses, ut is ubicunque deprehendi posset, captivus adduceretur. Verum mandato neglecto quemadmodum est ad Dei gloriam divulgandam per Tigurinos fortiter perductus, ita in hunc usque diem, quamvis multa perpessus, fortiter defensus.

Haud multo post consilio habito Frouuenfeldenses idola consumunt incendio. Stoccerus Præfectus dum insanit, minas ejaculatur se factum tam nefarium atque impium vindicaturum, etiamsi Germanos cogatur & Italos, imò & rostratos Indos auxiliandum implorare. Postridie mox Conventum agunt, quo quidem nobilibus, qui multi sunt, per Durgæam, advocatis rogatisque quid animi sit erga se & Evangelium, quidve spei de ipsis adversante fortuna concipere liceat, consilio habito respondent, cum eadem sit omnibus Civitatis ratio, quod major pars recipiat, id sibi quoque placiturum. Octo tamen erant, qui Controversiam introduci penitus vel ad sex vel ad novem Capita cognitum volebant. Cui rei dum nefas esset obsistere, nec satis animi capiendo consilio habere sibi viderentur, Tigurum petunt. Sed neque nobilitas moratur, ut auditis de quibus accusaretur, coram defendere posset, id enim in commissis erat. Senatus utramque partem audit, mox Confœderati qui commodum aderant, tandem Senatui majori negotium commissum ad hunc modum distrahitur. Re diligenter expensa redditur nobilibus, cum plebs quidem

hoc

hoc velit, quod uſum ſpectet patriæ, ſalutem animarum, & inprimis germanum Dei cultum, ne quærant ſegregationem, præſertim cum major pars Civitatis conſentiat, nam fieri poſſe, ſi ſic perrexerint, in ſuam id perniciem olim cadat. His dictis, Durgæanorum Legati ſcita quædam depromunt, flagitantes & probari & conſtabiliri. Libet ex iis adſcribere potiora.

„ Si quis in militiam exierit deinceps alie-
„ nam, jus patriæ, liberumque reditum amit-
„ tito. Uxoratum, qui per hujus Legis con-
„ temptum nihilominus perrexerit, ſperans
„ priſtina ſibi negligentia parſum iri, uxor &
„ liberi, ſi quos habeat, bonis immotis, ſe-
„ quutor. Filius ſi parentum juſſa non audiens
„ contra voluntatem eorum & contra Plebiſci-
„ tum belligeraverit, pro prima lege pœnam
„ luito, & à parentibus exhæredator.„

Reliquis omiſſis, hæc ponimus, ut intelligatur, quænam ſit virtus Evangelii. Fuit enim hactenus gens Durgæana tam ad militandum proclivis, ut dum militum copia nullibi per Helvetiam, qui mitterentur ad principes externos, eſſet, hæc abunde ſuppeditaret. Hodie ſecus eſt, at per virtutem Verbi Dei, quamvis clament malè pii, quaſi meliores exiſtant, qui verbum jactent, neùtiquam adparere. Sub hæc & illud adjiciunt: Quando Conſtantienſibus & vicinis & in fide Chriſti ſociis non pauca ſuis ex agris deberentur, edicto autem quinque Capitum rogatu Ferdinandinorum, ne quid ſolveretur, foret interdictum, petere, ne dein-

ceps isthóc mandato teneri compellantur. E diverso, qui similiter ex suis laboribus reditus Canonicis Episcopi Constantiensis cedant, collecti serventur ad præsentium discordiarum exitum, iisdem ne forte se contra quondam hostiliter abutantur. Petitionem Senatus exaudit, quamobrem Durgæani felicem hunc diem experti domum se læti conferunt.

Sub idem tempus & eodem loco Bernenses, Glareani, Basilienses, Salodori, Scaphusii, Abbacellenses, Sanctogallenses, Bielenses, Mülhusii, Curienses, & Constantienses deliberant, ut superius fuerat propositum, de statu communis patriæ restituendo. Is talis tum erat ex sola munerum corruptela, ut ausim dicere, vix quicquam in orbe fuisse miserius unquam. Dissensionum, malarum artium, pravorum consiliorum, mendaciorum, circumventionum, insidiarum capitalium, perfidiæ, contemptus fœderum, metus bellorum nullus ferè locus non erat plenus. Tribus diebus deliberationem absolventes huc veniunt, à proposito potestate fœderis communis quinque Capita deterrenda esse, calendis autem Majis plebe ad comitia confluente à Tuginis incipiendum. Priusquam verò consurgerent, nuntius adfertur, cum Ferdinandinis transacta, cæraque communita omnia, cujus rei quidem singula domum referat Exemplaria cum suis expendenda prout opus esset; verum infelicibus fatis accidit, ut capita suos fautores, & actores, etiam inter quos minimè decebat, haberent perpetuo; nam factum illorum

illorum tam tetrum, tam horrendum, tamque lætale toti patriæ, neſcio ſi à quoquam, exceptis quam pauciſſimis, pro indignitate ſit perpenſum vel ſemel.

Poſt paucos hos dies incidit ſolenne Divi Marci, quousque Bremgartinis ſpacium eligendi paſtoris fuerat extractum. Huldricus Funccius vir Authoritatis apud bonos non contemnendæ, Bremgartum pridie ejus diei negotiandi cauſa pervenerat; diſſenſionis ibi vultu perſpecto, viderat ex quo timeret, in pejus caſuram, ni caveretur. Piis ergo, tametſi clam, perſuaſionibus efficit, ut Senatu convocato referatur, utrum incolis, dum paſtor legeretur, ſuffragiis pariter cum civibus agere liceret. Quo facto, diſceptatum eſt diu reſiſtentibus, qui pravis conſiliis aliud ſtruxerant, ſed ad poſtremum, licere obtentum. Nocte ſequente Tigurum ex oppido miſſus de his omnibus certiorem facit Conſulem, tum etiam Hugonem Lucernanum à Ferdinandinis oppidum recta, dum exiiſſet ipſe, introgreſſum, quid mali ſubſit, incertum ſibi. Senatu mox per Canticinium congregato, quæque res foret explorato, jubentur Legati priſtini negotium agere Chriſti pro viribus. Ante lucem oppidum intrant, id quod Hugo dum comperit, ad Monachas abit Hermetſuilenſes, minatus apud --- --- Schodelerum Scultetum, ſi divorum Simulachra loco moveantur, oppidum brevi periturum. Adeo recens inito fœdere confidebat. In templo mane coitur, fit quæſtio de paſtore docto, & pio,

 pugnant

pugnant acriter pro ſe, quorum mens impia non ſemel jam eſt traducta, nec minus tamen pro veritate cæteri, unde clamores exiſtunt, quousque res per viros authoritate commendatos ad ſuffragia perducitur. Favente Domino deligitur, qui filium ejus Jeſum unice doceat. Quod ſi idem de conſilio paulo ante dicto non præcaviſſet, victoria certe ſtetiſſet ab impiis, tam fortiter interim cacodæmon ille per ſua membra conſiliis peſſimis inſtiterat. Eodem impetu petitur, ut idola removeantur, ſed Mutſchlii recensque lecti paſtoris interceſſione in præſentiarum abſtinetur, volebant enim ſine turba deponi, ne pietas male cogeretur audire. Decem itaque deliguntur pietate non admodum pollentes, qui id muneris concluſis foribus ſuſcipiant. Qui quidem ut negare non audent, ita gravius injungi nihil potuiſſet. Magnis & ex imo tractis gemitibus, ubi dies adeſt præſcripta, proſequuntur officium, & ne ſimulachra comburantur, poſtliminium ſperantes plus ſatis lacera penetrali cuipiam includunt. Civium aliquot ad Lucernanos, aliosque profugiunt, quos continuo tamen Bremgartinorum à pedibus conſequutus per jusjurandum, & uxorum cum liberis ejectionem revocat. Redeunt omnes multam manentes tribus exceptis. De his ſtatutum ergo ſine mora, ut ſpes de reditu ſit omnis amputata.

Inter hæc Wilenſes magnis conviciis petunt ab Evangelio reddi meliores, ſed Abbas putatitius ille reſiſtit, quantum poteſt. Inſtantibus diſputa-

ſputatio tandem per obſequii ſpecimen, revera non niſi procraſtinatio erat, in diem ſextum Maji permittitur. Diebus aliquot, quam diſputandi tempus adeſſet, ex Durgæanorum comitiis duo ad Senatum Wilenſem populumque miſſi, feruntur ſic, quæ mandata erant, extuliſſe: „ Dum id agimus, quod eſt ſalutis ani-
„ marum à vobis tanquam contempti præteriri
„ videmur, adſumus igitur à multitudine deſti-
„ nati, vos ut certiores de animi noſtri ſenten-
„ tia reddamus. Unius cum ſimus telluris alum-
„ ni, multaque belli, & pacis onera ſimul ſu-
„ ſtinuerimus, & adhuc multa procul dubio ſu-
„ ſtinenda ſint, omnis autem conſuetudinis in-
„ ter nos commercium ceu inimicorum penitus
„ deperierit, non quidem ob aliud, niſi quod
„ quæ bona ſunt & juſta cum apud homines,
„ tum apud Deum ſectemur, (quid enim Dei
„ poteſt eſſe cognitione melius? quid vita ad
„ hanc eandem formata conducibilius?) præter
„ rationem, ſed & intolerabile videtur ad hunc
„ modum ineptire. Quapropter Durgæano-
„ rum ſi vobis cognomentum deinceps, ut
„ hactenus, voluptati fuerit, hoc agite, ut &
„ fide in unum & ſolum Deum, deinde Miſſæ
„ Papalis abrogatione, necnon præcipitatione
„ ſimulachrorum inter nos conveniat, quo non
„ ſolum hic vel nominis vel loci congruamus
„ vicinitate, ſed etiam poſt hanc vitam talibus
„ fore liceat apud Deum usque in ſempiternum.
„ Quod ſi quid obſtare conatus fuerit Abbas
„ jure confiſus dominii, pro vobis ſtabit, nul-

„ lum tam fuiſſe potentem unquam, cujus imperium adverſus Dei præcepta vim obtineret ullam. Sed cogit, inquitis: minime vero, ſiquidem eos poſt Deum pro munimento poſueritis, quos & nos, nempe Tigurinos. Quamobrem obnixe petimus, ut his paucis adſentientes nobis gaudium, vobis ſalutem æternam comparare non abnegetis. Nam illud (ne quid prorſus vos celemus) intelligere, licet obſcurius, viſi ſumus, ſi preces noſtræ nullum in vobis locum ſunt inventuræ, neſcimus, quorſum tandem ira noſtrorum tum æqua tum pia ſit eruptura. „ His acceptis Senatus nihil moratus ea renuntiat Abbati, reſpondet hic Tigurinos, Lucernanos, Suitenſes, & Glareanos tutores ſe conſulturum. Legatis reſponſo audito ſic excidit: Niſi obtemperent propediem habituros, quos nolint. Neſcio quid interim Abbati ſuccurrerit, aut quicum deliberaverit. Durgæanos, qui jam pandochium repetierant, monet bono ſint animo, ſe nempe divorum imaginibus amotis, & Miſſa deleta, Sacellum in oppido diligenter obcluſurum. Quod quidem paulo poſtea factum imminenti turbæ ſalubriter occurrit.

Præſentes jam calendæ Majæ Confœderatos ad Senatum congregant Tuginum, rogant hi ſi multitudinem convenire liceat. Mox Senatus: haudquaquam, ni prius, quod exigant, & cum vigiliis ſuis, & cum quatuor Capitibus, quibuscum vetere & novo ſint fœdere juncti, communicaverint. Hoc dicunt, ne repulſa ratione

tione careat, nam ftabat fententia jam pridem, admittere nolle. Palam quoque fiebat ex populi contemptu, conviciis, maledictis, illufionibus, quæ confpiratio, priusquam conventum effet, inter Senatum & plebem contra Legatos, pios præfertim, extitiffet; nam Friburgenfibus fociis, qui huc, contempto prius Tiguro, concefferant, quis illufiffet? Ergo fruftrati propofito difcedere compelluntur. Suitiam adcelerant, mox Uriam, & Lucernam, poftremo Sylvaniam; excepti peffime gravius audiuntur; fed ut omnium animi fuerant alieno fœdere detenti, fic refponfum differunt omnes, donec cum fuis de rebus in medium prolatis valeant colloqui. Præter hæc autem contumeliarum molem toleratu non facilium, præfertim apud Sylvanos, nullus modus. Ramulis quin etiam ex abiete fuper pileolis geftatis, majorum & fidei & roboris Symbolo, ut ipfi dicebant, ut alii, & quidem verius, focietatis infidelis, mirum quam honeftos viros imprudentiffime vexarent. Ergo dum præter conviciorum molem nihil acciperent, tædio defatigati, domos repetunt. Ex hoc ungui cognofcere licebit, quis ftatus hac noftram Helvetiam tempeftate habuerit, qua ifthæc paucitas tantam multitudinem, non ulla quidem fortitudine, (nam quo modo male fibi confcius fortis effet?) fed mera malignitate, & nefcio qua impotenti defperatione tam indigne tractavit, cum hi tamen nihil molirentur, nifi quod omnibus ex æquo fuiffet falutare.

Interea dum ſic luduntur, quatuor per Ditionem Tigurinorum pondere valde graves pertranſeunt currus : agreſtes ſtupore diligentes facti tormenta comperiunt æenea vehi. Renuntiant Senatui, deliguntur ad rem penitius cognoſcendam duo, qui quidem dum adornantur, currus ad Thermarum caſtellum usque proceſſerant. Hinc dein poſtquam ſolventes exorbitant, ditionem intrant Bernenſium, à rumore præcurrente proditi intercipiuntur. Mox ſequuntur alii duo pariter onuſti, Glattæ campum (vicus hic eſt Tigurinorum) pertingentes ab agreſtibus ſuperiori negligentia diligentibus redditis opprimuntur, & Senatus juſſu convehuntur Ægliſaugeam ad aſſervandum, dum palam fieret, cujusnam eſſent. Interrogatus auriga variat, nunc mercem precio ſibi vectandam dictitans, paulo poſt nobili cuidam Suevo: Bernenſes viciſſim pro tormentis dediſſe ſacrarum veſtium & ornamentorum vim XII. millium aureorum. Inconſtantia & hominem, & rem ſuſpicioſam facit, quamobrem quæritur ex Bernenſibus ſine mora, num illa ſint vera, reſpondent nec emiſſe nec commutaſſe cum quovis ſe quidpiam, & mendacium de ſacris rebus diſtractis plus ſatis modum excedere. Hinc fit, ut tormenta reſervent utrique diligentius, nam ex titubante illius & mendaci reſponſo contra ſe videbatur nonnihil parari. Tormentorum omnis generis numerus ducentenarium ſuperabat. Manent aliquandiu, ſi quis forte perquiſiturus de ſuo adveniat, id vero dum fruſtra, per-

percontantur ipſi, quoad comperiunt, ad quinque Capita à Ferdinandinis contra ſe tranſportari commiſſa. Tunc omni tandem dubitatione remota, velut ex hoſtibus captam prædam publicis armamentariis ad futuram neceſſitatem reponunt. Quis non ex facto tam mirabili Deum ſuos ſua dignari cura perſpiciat? Qui machinas tam multas tamque horrendas in exitium eorum præparatas, tam facile, præter ſpem, ut de quibus penitus fuerat ignoratum, in manum tradiderit, nedum adverſantium hactenus conſilia ſubinde diſſipaverit. Diligenter itaque videndum nobis, ne contemptores divinæ benignitatis inveniamur aliquando, nam nihil certius futurum, quam graviſſimæ pœnæ reſervatum malum.

Dies Wilenſis diſputationis jam aderat: Sacrificorum turba non parva omnium circa pagorum confluit, magis quidem ut Chriſti Doctrina confirmarentur, quam ut eam impugnarent. Evangelicæ Lucis propugnatores ſedere Franciſcus Zinggius Eremitanus, D. Joannes Zuiccius Conſtantienſis. Stare populus ad audiendum frequens. Abbas dum expectatur & inquiritur, equo fertur abiiſſe. Poſtulantur qui linguæ conviciatrici nunquam hactenus non indulſerant, ante omnes tamen ------ paſtor populi. Clam aufugiſſe teſtantur omnes: Ita fieri ſolet ac debet, pietas ubi contra impietatem ſe, juſtitia contra injuſtitiam fortiter ac intrepide conſtituit, nam ut veritate munito nihil fortius, ita fulcito mendacio nihil formiduloſius, quamvis mirum

quam

quam cœlum (quod dicitur) aliquando territet, tum cum poteſtatibus nititur, verum uti cor interim ſaliat, noverunt qui diſputando veritatem hactenus oppugnarunt. Pergit tamen Franciſcus themata pia divinarum literarum teſtimoniis comprobare, deinde copiam ex adverſo dicendi, ſi quis quid melius, veriusque habeat è Scriptura Dei nemini non benigniter offert. An verò literarum ignorantia factum ſit, an quia verbo crediderant vel impii putati, neſcimus: nemo contradicere quicquam, præter plebejanum Rickenbachium, qui Lutheranæ factionis de Euchariſtiæ Sacramento ſibi ſatisfieri cupiens, uno atque altero in contrarium argumento prolato, mox ſatur, ut palam teſtabatur, diſceſſerat. Hic verò quid plebs faceret, poſtquam tam fœde cum à Domino tum à paſtore fuerat deſtituta? Annon ii totum munus eccleſiaſticum reddiderant ſuſpectum? Annon fuga palam clamarat, per veritatem obtineri non poſſe, quod hactenus obtinuiſſet uſu? Quamobrem neglectis iſtis, nec incuria, quæ Scriptura manifeſte docuerat recipere, Miſſam obliterare, idola præcipitare, valedicere Papæ.

Contumeliam hic interpoſitam licet, quoniam fit dum hæc geruntur. Morum & vitæ correctionem Durgæanis meditantibus Stoccerus præfectus pellice rejecta cum uxore, prout deceat, vitam agere jubetur. Rebellis & contumax accuſatur apud Senatum Tigurinum, nam huc referebant ea tempeſtate Durgæani, quicquid premeret vehementius. Hic monet uti

per-

pergant. Id quod dum parant, ille ſe per literas hunc in modum Senatui purgat: Hactenus in hac re quicquid egerit, dominorum ſuorum Tuginorum ſcilicet, reliquorumque Capitum egiſſe conſenſu. Dimiſiſſe quidem conjugem, quod fidem iſtam novam exhorruerit, dimiſſos cum matre liberos, quod libitum non fuerit, ut hac in hæreſi verſarentur amplius. Materculam (ita vocarat pellicem) retinuiſſe, retenturumque, quoad Domini ſui conniverint, nec quenquam præterea reverriturum. „ Vobis, inquit, „ ſi quis compelleret omnes ejicere meretrices, „ quiſnam hodie paraturus eſſet cœnam? Talibus verbis impurus iſte Sardanapalus Senatum Tigurinum dignatus eſt. O notam hujus temporis!

Cæterum Abbatis importunitas adeo ſubjectos, non jam dico Wilenſes, ſed Rhenivallenſes exaſperaverat, ut arce Roſchachenſi ad lacum Acromum occupata quicquid tormentorum, quicquid armorum invenirent, ad ſe raperent, utpote quæ ſcirent in ſui comparata perniciem. Ea res è veſtigio tutoribus ſignificata, literas indignabundas elicit, minantur enim, niſi reddant quicquid avectum ſit, gratiam ſuam teneri non poſſe; ſimiliter ſcribunt ad Sanctogallenſes propter ſex aureorum millia, quos hi poſtquam numerarant Abbati nomine vectigalis annui redimendi gratia, penes ſe tamen in finem negocii verbi dominici detinere ſtatuerant. Roſchachenſes Tigurum conſultum Senatum advolant; jubentur eſſe quoniam nihil præter jus & fas commiſerint, absque ſollicitudine.

dine. Sanctogallensibus, quia satis erat penes se sibi consilii, ne tutores nihil pendi viderentur, literis rei satisfaciunt.

Præfectus interea Durgæanorum habitatione pristina mutata, quod in arcem omni cum suppellectili migraverat, ansam dat bonis quibusque de se pessime opinandi, quocirca ne damnum imprudentes incurrant, arcis bombardas oppido restituunt omnes. Furibundus ille Capitibus id conqueritur: hi calamo, & papyro minantur, ut antea, nisi reddant bombardas. Durgæanis petentibus iterum consilium dant Tigurini: Eo quod bombardas in arcem Civitas ad sui tutelam collocaverit, nunc autem timendum, ne quis eis in exitium potius abutatur, neminem fore probi judicii, qui factum sugillare queat, quapropter quod suum sit diligenter custodiant ac tueantur. Nobilitas ejusdem gentis hoc ipso die, quia missationem & simulachra divûm in propugnaculis suis fovere tentabat, accusata contra se fert sententiam.

Quia verò nihil omittere, quod Oligarchorum mentem exacerbatam in nomen Tigurinum coarguat, stat sententia, brevibus stultam impotentiam Ægidii Animosi, Senis, barbati, Suitensium Amanni, commemorare libet. Antonius Gesnerus juvenis admodum, Suitiam jussu patris ad exigenda debita perveniens, dum operantem quendam forte spectat per ocium, Animosus accedit, salutat, negocia rogat. Capite nudus Antonius verecunde resalutat. Tum Senex: „ Tune Apostolos, ais, olim in po-

„ dice

„dice miſſaſſe?„ (ante annum tale quidpiam à coëtaneo Tugii vexato propter miſſam, ridicule, par uti referret, exciderat.) Atque hoc dicto, pugno dentibus labefactis os ſanguine deturpat, & execrationibus inſuper maledicentiſſimis proſequitur. Antonius quia ſolus & loco minime tuto, tum neſcius ſi quid aliud in ſe fortaſſis ſtructum eſſet (inflammatos etenim ira quoſdam è circumſtantibus omnino notabat) diſcedit. Senatus autem Suitenſis, priusquam Antonius domum revertiſſet, ad patrem ejus dat literas, graviſſime filium de ſermonis turpitudine, jactationeque verborum temeraria deferentes, contra factum ſenis diligenter excuſantes, ut qui protervia motus hominis, quamvis venerandus, & ſenex manus tamen abſtinere non potuerit. Quod ſi velit ſibi debita perſolvi, mittat, cui ſit lingua domabilis, tum enim juris proſequendi, facultatem libenter conceſſuros. Andreas (id nomen eſt Patri) poſtquam Senatui Tigurino Suitenſium tam promptum animum, ſcilicet, demonſtraverat, reliqua diſſimulat. Senatus ad alia horum peccata recondit.

Paulo ſuper Bremgartum Vicus eſt Lunghofen, cui Bremgartini Præfectum annuum ſubſtituunt. Hic plebs diviſa partim ab Evangelio ſtare, partim a Pontifice Romano, quamobrem Sacrificum miſſantem hi, Chriſtum annunciantem illi præhabere. Diſceptatio facit, ut conſultatione ſuper hac re in diem Solis quendam denuntiata, Bremgartinorum aliquot, ne malum intercideret, multitudini ſe conjungerent.

Jam

Jam ubi fuffragiis erat agendum, piorum numerus tam fuerat, hoc metu dilapfo quidem, alio mentis inconftantia, diminutus, ut Bremgartini, nifi victam intueri pietatem vellent, adeffe cogerentur, atque ita factum, ut pii vincerent. Quæ res quidem adeo fertur à quibusdam graviter, ut extemplo Tugium & Lucernam ad conquerendum avolarent. Horum Legatio commodum ad Concilium Badenfe tunc parabatur, committitur ergo, querimoniæ hujus non fint immemores, poftquam manifefte jam intelligant, pietatem illorum nil nifi violentiam effe, quæ tandem quonam fit evafura, fi non pertinaciter refiftatur, neminem poffe latere, præterquam ftupidum, qui nulla fit neque mente neque fenfu.

Jam in oppido Badenfi conventum erat iterum fuper controverfia Bernenfium & Sylvanorum: Bernenfes & Tigurini, quod hi toties, & de novo fuperioribus diebus concordiæ, & omnis amicitiæ prævaricatores reperti fuerant, pacem cum iis, ut quibus credere non valeant, prorfus abnuunt. Sylvani contra tam pertinaciter inftant, quo pax nuper à Bernenfibus recepta fervetur, ut horum Legati retro domum abire compellerentur, ad confilium cum fuis capiendum. Tigurini brevi deliberatione pacem habere cum impietate Sylvanorum non poffe definiunt. Bernenfes pariter concludunt. Ergo reverfi poftquam hæc protulerant, fermone directo in Capita quatuor reliqua, nihil eorum, quæ contra fe multifariam egiffent hactenus,

non

non objectant liberrime, tum fœdus Ferdinandinum, ubi non fine gravi ftomacho fatis auribus ingeffiffent, abfcedunt. Sex Capitum Legati (Glareani, quorum nil intererat, tum fe junxerant) aliis digreffis querelam agitant Lunghofenenfium adverfus Bremgartinos, cui rei dum aliquantum ad expendendum temporis datum effet, notario jubent, uti quam queat feveriffime, atque minaciffime nomine fuo præcipiat, divorum fimulachra reftituant, facrificium Miffæ condigna veneratione teneant: quod fi minus obtemperent, fenfuros quorum mandata contempferint. Hoc quidem factum tam atrociter, ut confeftim Bremgartini Tigurum accelerarent pro confilio. Senatus monet bono fint animo, ac fortiter in verbo recepto perfiftant, Deum namque fuos non deferturum: fe verò id acturos, quod debeant tum juftitiæ tum ipfis. Gratias agentes Senatui, & Deo domum animo læti fe conferunt.

Inter hæc fine intermiffione fubjecti Abbatis Sanctogallenfis, & præter cæteros Wilenfes, Tigurinos & Glareanos follicitant, ut quandoquidem pietas monaftica non fit ex Deo, deformem in viros Monachi dominatum ipforum ope liceat excutere. Abbas è diverfo Lucernanos & Suitenfes implorat, ut quemadmodum in hunc fe gradum dignitatis extulerint, ita, ne de fuo quidpiam contra jus & fas deperdat, tueantur. Conveniunt itaque partes Wilæ, contendunt Tigurinorum legati, ne titulus Abbatis deinceps audiatur, fed adminiftratoris,

dein cucullo rejecto, quotannis administrationis reddatur ratio. Lucernani & Suitenses ne latum quidem digitum ab hactenus servato more discedunt. Glareanus dum putatur astipulaturus Tigurinis Abbatem defendit. Mutatio tam repentina credebatur hinc esse: Nuncios paulo ante Monachus Glareanam dimiserat; talium est cum loqui, tum numerare, quocirca facile persuadent. Re cognita Senatus Tigurinus Jacobum Werdmyllerum quæstorem Glareanam ablegat rogatum, quænam causa defectionis? Malis non gratus adventus, sed molestior tamen inquisitio, de improviso namque inciderat, quamobrem non habentibus in promptu, quid responderent nec bonis nec pravis, post diem jubent octavum revertatur. Postquam ergo redierat, audit, si monachus statum suum, ut fuerit hactenus, ex Scriptura Dei firmare possit, nihil se contra facturos, sin minus, esse repugnaturos. Hoc responso contentus quæstor ad suos revertitur: narrat quid audierat, placet Senatui, quippe qui facile capiebat, cujusnam istud operis, quo de modo dictum, fuerit Officinæ.

Jacobus Serarius, Vir in Domo Dei fidelis, Evangelii sensa Gastalensibus aliquandiu rogatus exposuerat. Charitate Patriæ motus è ditione Tigurinorum, ubi verbo docendo pariter incubuerat, eo, quibus licebat feriis clam Suitensibus, una cum Glareanis Gastalensium Dominis, proficiscitur. Suitenses indigne ferentes parant insidias: Vigesimo secundo Maji impietatis

tatis miniſtri gladiis & ſpiculis intentis exorti ſubito prætereuntem capiunt, ligant, Suitiam abducunt, clanculum omnia. Gaſtalenſes tandem ubi rem intelligunt, quod unum poſſunt, dolent, è manibus etenim jam & poteſtate longius fuerat abſtractus. Per hos Tigurini certiores facti, mirum quam obſtupeſcerent ob Viri tum probitatem, tum animi Virtutem, quapropter literas Suitiam per publicum tabellarium repente dimittunt, quibus precantur, monent, ne temere quid agant, ſed & minantur, ſi occidant: nec id ſatis viſum, Joannem Edlibachium quæſtorem ſequi mandant, literarum mentem ut ore conſtabiliat, addat vero quicquid ſaluti futurum Jacobo videatur: mox, Suitia relicta, Glareanos petat, hortetur ut jus ſuum defendant, (nam id temporis Glareani præfectum Gaſtalenſibus dederant,) fœdum ac indecens, Suitenſium ita laſciviam in alieno jure, tanquam licitam tolerare. Unde factum, ut Glareani ſcriberent Suitenſibus in hunc modum, Jacobum è quo loco rapuerint, ſine mora reſtituant: nam injuſte rapuiſſe: cogitent quid jura violare tam proterviter demum pariat: non hæc eſſe fœdera, quibus ſint hactenus uſi per ditionem ſuam quique tranquilliſſime, quamobrem id agant, ne ſe contemptos, commune jus violatum, de ipſis olim conqueri nimis juſte valeant. Similiter agitur ab Utznachianis, hoſtibus quamvis Evangelii: & niſi reddideritis, inquiunt, conſilium inibimus cum Glareanis, quid agendum. Suitenſes omnibus

nibus his cognitis in diem 29. Maji populum ad Judicium pro consuetudine convocant, Jacobum sistunt: Accusatur novae fidei, contemtus Sacramentorum; & de omnibus, quae tam longo tempore fideliter Romana tenuerit Ecclesia. Patronus Jacobi quicquid ad vitam ejus redimendam pertinere videbatur, diligenter agit, ante omnia tamen Glareanorum admonitionem urget. Qua de re in consultationem venit, judicandus sit, an Glareanis reponendus? Diem disceptando terunt ad vesperum usque fere, tandem suffragia dantur. Boni viri quos ipsi audivimus jurejurando firmare non dubitant, majorem fuisse partem in hoc, ut monitioni cedatur Glareanorum. At Ægidius iste, quo de paulo superius, cum suae sortis hominibus certando pertinaciter evincit contrarium. Hunc contra dum nemo quicquam auderet, ad judicandum & condemnandum animi declinant. Quia vero Pontifici Romano qui non ejus Traditionibus steterit, incendio dignus habetur, Jacobus sententiam auffert, ut vivus concremetur. Ligatus ergo, ductus, in ignem positus fortiter Spiritum reddit. Quibus convitiis in hunc & Tigurinos inter ducendum mares, fœminae, senes, juvenes, debachati sint narrare lubens supersedeo: qui vivit, Dominus audivit, & ulturus est. Tum demum ocium nacti Suitenses, Tigurinorum literis respondent: „ Intelleximus, quae scripsistis, & „ miramur satis, nam velut injustius quid a no- „ bis sit actum indignamini. Sacerdotem pre-

„ hendi-

„ hendimus, in ditione noſtra, ſuper territorio „ noſtro, & ipſum noſtrum inventum hæreticum „ ex juſto indicio condemnatum igne conſum- „ pſimus: Si quid perperam aut contra jus fa- „ ctum putatis, ſignificare poteſtis.„ Literis tam inſolentibus auditis, parum abfuit, quin mox bellum fuiſſet Suitenſibus indictum.

Quantumvis autem quinque Capita ſævirent, ſermo dominicus tamen curſum tenuit: nam eo die, quo captus eſt Jacobus, Parochiæ novem ex Valleforti precibus orant, ut Senatus Tigurinus Evangelio locum apud ſe faciat. Senatus reſpondet: poſtquam nemini, quod jure debeant, per fraudem poſthac & Evangelii prætextum, non perſolvere conſtitutum habeant, voluntatemDei agnoſcere per verbum ipſius ex puro corde poſtulent, & pars major ita conſenſerit, daturum ſe brevi, qui voti compotes efficiat: Inſuper autem & fortunam & Corporis vires intenturos, ne, quod nolint, hanc ob rem pati cogantur: Illis nihil non habere ſic affirmantibus, obſecundatum eſt.

Impietatem iterum hoc deformare loco non tam libet, quam operæ videtur pretium, quo pietas cum ſuis queat affectibus cognoſci melius. Ex juventute Lucernana tres (nominibus parco lubens, quia vernaculi) ad mercatum Zurzachenſem ituri, Boswilæ (vici dictæ vallis hoc nominis eſt) pandochium petunt. Adeſt forte cauponæ propinquitate junctus Daniel Sartor, qui cognitus à meretricibus eſſe Tigurinus & proditus movet illos, ut in hunc modum inter ſe conſuſurrarent: irritabimus hominem verbis,

& si quid, quod læserit, contra dicere paraverit, confodiemus. A cognata forte fortuna prætereunte verba pessimi istius consilii percepta sunt. Conspectum ergo Sartorem invitant ad mensam, adsidet. Tum unus, dic tu nobis, inquit, quantum hinc dissideat nebulonum regio? Is placide: equidem homo sum non hujus loci, quamobrem regiones sunt incognitæ mihi, vestrum id est nosse potius, qui estis nimirum indigenæ. Foras inter hæc vocatur, discit ex cognata, quæ consusurrassent isti, rogatur ut maneat cibum in alio loco sumpturus: At hic, facile est, inquit, cavere, postquam hæc norim: redibo. Mox illi, ut Dei crux, passio, (liceat inepte loqui, & contra morem patriæ blasphemis hominibus similiter blasphemare.) Tigurinulos istos male perdat cum isthac fortunarum & corporis vendicatione nemini sectatori hactenus abnegata: quousque tandem durabit hoc opus? Ita convitia in Deum, & Tigurinos evomentes tantum non in bestias abibant. Sartor omnia dissimulans ac tacens periculum evadit. Priusquam autem discederent, pascicuntur Scyphis epotis intraturos se Zurzacum ramusculis redimitos abiegnis ad offensionem cujusvis: Hæc juvenilis & temeraria designet impietas temporum licentiam. Quid illos putas, ad ea qui connivent?

Ejusdem impietatis est, quod sequitur, sed interim crudelius atque tumultuosius. Joannes Jacobus Lancius, Henrichi Lancii Viri genere nobilis filius ex arce in pagum Niveram delatus,

tus, cum ruſtico, neſcio quid, verbis ad gladios usque contendit, unde ſatis periculoſum accipit vulnus, quæ cauſa quidem, cur pace ſtare pertinaciter bis renueret: tertio dum idem fit, convitiisque ſine modo vulneris dolore pulſus furit, pertinacia Vir bonus quidam commotus (nam piaculum eſt apud nos pacem mandatam, vel ſemel, abnuere) curſim e domo virum prehendens, non tu tandem, inquit, Lanci paci ſtabis? Tum ille bombardulam, quam manu tenebat, pectori, ne verbo quidem dicto, applicat, accendit, interficit. Fugit homicida, quod licuit per vires, in arcem. Fit ejulatus in occiſi domo, concurſus magnus agreſtium, queruntur de latrocinio, conſultant per ſe præter conſuetum, ut arx continuo trecentis armatis, ne elabatur iſte, cingatur. Quo mox facto, ſtatuunt adire præfectum, & rogare juſtitiæ defenſorem agat. Ad quem ubi perveniunt, poſſe quidem audiunt ſe prohibere, ne corpus & bona Lancius moveat loco, de reliquo vero incertum ſibi, quamobrem conſulturum eſſe Tuginos Dominos ſuos. Illi miſerum vocantes ſtoliditatem exprobrant, ut qui in re tam aperta conſilio careat. Tigurum igitur concedentes, queruntur quod acciderat, petuntque leges defendantur. Perſpecto negotio, haud oſcitanter, cum his mandatis ablegantur Funccius & Petrus Meyerus, ut parricidam ad jus petant, ſi tradat, exequantur quod juris eſt, ſin minus, tormentis arcem admotis recludant.

 Audito

Audito Tigurinorum adesse legatos, & ferre mandata, quæ diximus, Liebenfelsia (nomen id arci) deditur. Captivus Hugo Landenbergius in arce repertus Frouuenfeldam abducitur. Lancius quod lecto propter vulnera decumbebat, custodia circumdatur virorum duodecim. Dies causam dicendi prima Junii constituitur. Adveniunt præter Tigurinos etiam Bernenses, qui simul dum actionem instare jam putarent, Præfectus ad Confœderatos suos transire memoratur. Renunciant hoc Senatui Tigurino; is jubet ut pergant ubiubi sit præfectus: Ergo Landenbergius accusatur, quod Tigurinos non semel & gravissime vocasset hæreticos; hic ergo, quandoquidem fidei in Deum & Christum læsisset majestatem, necessum esse, pro Legibus Cæsariis satisfaciat. Ille contumeliam excusat in hunc modum: Posteaquam fuerit edicto prohibitum, ne quis Evangelicæ fidei Sectatores turpiore notaret titulo, neminem ex se tale quidpiam unquam audivisse: testes se probos hic omnes invocare & veritatem ipsam. Defensio quamvis sit accepta, non tamen effugere, quin vinculis opera præfecti Chiburgensis teneretur ad tempus, potuit. Lancius quod pro se dicere jam dum imbecillis nequiverat, quatuor dies sibi petens impetrat. Non dubium est, quin per hosce dies & præfectus apud Confœderatos, & Pater Lancii apud quosvis, sed & soror passim (nam hi Tiguri quoque per id temporis conspecti sunt,) nihil non versarint, si vitam illi redimere vel precibus vel precio possent.

ſent. Illud certum, patrem, quicquid conſilii tandem invenerit, ubi non aliter valeret, egiſſe minis; jactabat enim parum lucri fore Durgæanis, etiamſi filium ad necem adigant, nam eorum expenſas futuras, bonorum quicquid ſit ſe poſſeſſorem & Dominum, non filium agnoſcere. Tam vehementer autem hoc urgetur, ut Durgæanorum ſimplicitas timere jam inciperet, & hujus minas pro conſiliis ventilare. Interim & propinqui ejus, quem cæſum diximus, adeo ſunt a quibusdam ſollicitati pertinaciter ut pecuniam malint, quam mortem hominis, illam liberis defuncti profuturam, hanc nocituram potius: Inſuper & expenſis omnibus ſatisfactum iri pollicentur, ut tandem perſuaderent Tigurinis & Bernenſibus juris æquitatem fruſtra manentibus. Itaque liberis aurei mille, cognatis pro expenſis trecenti, Durgæanis non minus ſeptingentis numerati ſunt: Lancius autem, ne poſthac inſimuletur latrocinii, ſed homicidii ſimplicis plebiſcito cautum.

Hæc dum aguntur, Capita quinque literas absque ſalve & vale Bremgartinis dimittunt in hanc ſententiam. Quicquid eſt quod nos quinque Capitum Legati proximo conventu noſtro deſtinavimus, nolumus ut ignoretis. Eo quod egiſtis aliter atque nobis placeat, ſcitote propediem adfuturos nos, & pœnas bello repetituros ob maleficium, quo reliqui diſcant veſtro docti malo non eſſe contumaces. Brengartinus Senatus clam plebe conſultat, veritus ne concita plus ſatis magis adhuc commoveretur;

rescribitque, se illos, ut Dominos agnoscere, tametsi non solos: egisse quoque, quod fortasse displiceat, sed Dei Scripturam scrutatos, ubi quidem, si se docuerint errasse, consilium libenter mutaturos, sin minus ita perduraturos, quousque ducant spiritum: rogare præterea, ne quid temere constituant, incertum enim quonam cadant consilia præsertim temeraria.

Sub hæc ex Valleforti coram Senatu Tigurino viri missi comparent, denunciantes, ut Lucernani scripserint ad se literas admodum hostiles, rogant & consilium & auxilium. Senatus monet bono fortique sint animo, duce fidant, cujus nomine patiantur ista, non enim iri desertum. De se tantam spem habeant, quanta queat de humanis viribus concipi. Bellorum ita minæ volitant ab adversaria parte, ut interim tamen nihil minus (id enim mihi penitus persuasum) esset in animo. Quid igitur? Si per hunc modum alios provocando priores ad arma capienda concitare, sibique quicquid agerent contra, vel egissent æquitatis speciem vindicare possent.

Verum quicquid harum rerum fieret, Evangelium tamen magis magisque vim genuinam suam exercet, nam eodem tempore Senatus Tigurinus à Rodorphinis paganis Comitatus Badensis incusatur, quod non sibi quoque salutis verbum liberum efficiant, cum sint, quibus id maximopere desideretur & Sacrificum habeant, cui nihil gratius evenire posset, quam libere docere, quæ per Scripturam Dei norit

esse

eſſe quam veriſſima: Reſpondet, neminem hactenus petiſſe, ſed quia petant, lubentes ſe morem gerere. Jubeant ſacrifico, docendæ voluntati Dei ſtudeat, quam accuratiſſime, boniſque & chriſtianis moribus plantandis invigilet, tum quæ domum Dei dedeceant atque conſpurcent ſine trepidatione removeat, ſe nihil non facturos, quo pie ſuſceptum ſit ipſis perpetuum. At ſtatim ubi hoc audit Jacobus Novalianus Suitenſis, tunc temporis præfectus Badenſium, clam ſedecim militari habitu ſubornatis noctu ſacrificum comprehendere tentat, verum is præmonitus abit Bremgartum, donec illud actum, ut regreſſus pro inſtituto conſilio ſine Præfecti aut cujusvis alterius interpellatione prædicanda ſalute pietatem doceat.

Cæterum quod minarum bellicarum omnia fuerant plena, Bernenſium Oligarchi, quibus grande nomen erat ab Evangelio tamen, bonorum oculis apud ſe confaſcinatis, arte parant Tigurinis perſuadere, ne ſe hoſtiliter adverſus quinque Capita gerant, & ut terreant etiam, vigeſimo die Maji coram dicunt, bellum ſe nolle, Valleſienſes enim ſex millia pollicitos armatorum Sylvanis, quocunque tempore opus habeant. Quæ quidem res non difficile negligebatur, utpote vile quiddam, ac viris indignum præ ſe ferens: nam nec bellum eo tempore (niſi forte quod malum ab aliis intentatum arceret) Tigurini cogitare & imbecillius eſſe, Valleſienſes, neſcio quot millia, promiſiſſe, quam ut ob eam cauſam, etſi Tigurini bellum inſtituiſſent,

ſent, cœpto deſiſtere deberent. Fama quoque ferebatur, Sylvanos pertinacia fretos, Præfectum deſignatum antea deducturos ad Baden (nam temporum vices jam ad eos devolutæ) quam controverſia cum Bernenſibus eſſet diſtracta. Quod quidem Tigurini prævertere, ne vim aliquam jus pateretur, meditantes, Funccio Legato Bremgartinos & Mellingenſes monent, ne tranſitum illi permittant: Verum paullo poſtea (nempe Calendis Junii) obedientiam communem legatione apud Senatum excuſantes, propter quam, quod monuerint facere non queant, & petentes id æqui bonique conſulatur, petitum ferunt. Interim & Bernenſibus ſerio ſcribitur, quandoquidem res ipſorum agatur decere ſedulitatem & ſollicitudinem, ne quid detrimenti juſtitia capiat, ſe quidem eſſe paratos ad reſiſtendum, ne Præfectus Sylvanus in ſedem Præfecturæ, ſi quis quid tentaverit, tollatur, quocirca diligenter ſe fideliterque quicquid acturi ſint, obſervent. Verum illi pertinaciter inſtant, ne bellum Tigurinis paci præferatur, idque literis & ore precantur, at ea ratione, quæ modo dicta eſt, quæpropter in propoſito Tigurini perſiſtunt.

Inter hæc Suitenſium perverſitas & cor pœnitere neſcium ſubinde magis magisque aperit ſe, in Tigurinos jactant convitia, jocos in ſacrificum exuſtum. Aderat forte Suitiæ civis Tigurinus, quem adeuntes maligne protervi, cum is longe aliis foret intentus, „audi tu, inquiunt, „Tigurinos tuos male habet ſacrificum igni con-

„ſumptum?

„ ſumptum ? Die ergo ſi velint recipere, ſac-
„ cum ferant, quo cinerem converrant,„ Sed & mendacia ſpargunt. Lucernam enim denunciant in armis eſſe Tigurinos ob dictum ſacrificum, unde factum, ut arma ter uno die ſumpſerint in oppido ad occurrendum invaſuris.

Ipſis Calendis Junii nobilitas Durgæana, male fidelis hactenus, apud Senatum Tigurinum ſe per omnia ſubjicit, tantum à bellando, ſi quid ingruat, eſſe liceat immuni. Verum à ſpe fruſtrata perducitur huc tandem, ut quicquid æquum ſit acturam ſe profiteatur.

Tertia Junii Bernenſes legati technis ſubornati fraudulentis Oligarchorum (id quod primo conjectura, mox revera cognitum) per Chriſtum & cœlum univerſum coram rogitant, ut Tigurini belli tandem cogitationes excutiant, famem atque omnium rerum eſſe penuriam, omnes imparatos, fratres eſſe contra quos moveantur, hoſtibus nihil jucundius, quam noſtram diſcordiam evenire poſſe, imo neque Deo placere quamvis juſtas prætexant cauſas, quippe cui pax, ut Deo pacis, non bellum cordi ſit, famæ damnum propter ipſius gloriam, eſſe acquiſitionem: contemptum, eſſe laudem. Multaque in hanc ſententiam magna quidem contentione dicunt. At conatu fruſtraneo, nam apud eos dicunt, quibus malæ jam olim artes ſunt perſpectæ: Deus autem quid interpoſuerit, non leviter accipiendum videtur, interim enim dum contra legatos diſceptatur, certo cognoſcitur, quinque Capita per legationem à Ferdi-

Ferdinandinis proximo die Sabbathi pro fœdere percusso suppetias ad inobedientes bello multandos petituros esse. Confirmatur id a Suitense quodam magis, qui casu tum obversabatur Tiguri. Senatus ergo pro responso Bernensibus hoc ipsum objectans, adeo stupefacit, ut velut ore capti discederent.

Sylvani dum esse pergunt contumaces, ac temerarii, quarta Junii Præfectum suum Antonium nomine contra jus & æquum deducere parant quindecim è suis, centum è reliquis Capitibus comitaturis. Quam rem ubi agrestes cœnobii Muriani cognoscunt armati concurrunt, suspecti namque de Evangelii studio numerum tam ingentem comitum nonnihil formidare. Perfertur res ad Tigurinos sub noctem, convocatur extemplo Senatus, fit consultatio. Dum sedent Berna nuncius equester advolat, Bernenses adserens à Tigurinis motos, sententia qua bellum recusarint, destitisse. Sylvanus ut præfecturam capiat nolle, atque hic facturos quod Tigurinis videatur. Vim igitur contra vim, quod & prius erat in animo, decernunt alacriter, mox literas scribunt Lucernam, in hanc formam: Contemptum & violentiam, dum præfectum Sylvanum deducere conamini, vobis in animo potius esse, quam justitiam intelligimus. Quod cum ita habeat, quia contra jus & æquum contenditis, lites enim inter Sylvanos & Bernenses fœderatos & concives nostros etiamnum pendent, scitote pro virili nos repugnaturos. Si quid igitur ex eo mali vobis accide-

acciderit, pro noſtro nos volumus honore jamjam ſatisfactum. Dux legitur mox Huldricus Stollius: Henricus Ranius vexillarius, milites DC jubentur in mane proximum ad proficiſcendum omnes eſſe parati: Poſtridie vexillum aurora ſurgente ſuſpenditur è curia, tormenta quatuor majora producuntur, ad commeatum inſtruuntur currus. Sumpto cibo tympanis convocantur milites in forum piſcatorium. Ad convocatos Walderus Conſul prodit cum Tribunis & ſcriba: Facto ſilentio profectionis hic cauſas editiore loco pronuntiat ad hunc fere modum:
„ Eo quod audax quinque Capitum propoſitum,
„ quo præfectum Sylvanum in adminiſtrationem
„ Præfecturæ Badenſis contra jus & æquum, li-
„ te Bernenſium cum Sylvanis jam dudum pen-
„ dente, violenter ſuſtollere conantur, reprimi
„ non poteſt niſi per vim, cum tamen ſi ſic
„ abire permitteremus non ſolum noſtræ digni-
„ tati, ſed juſtitiæ communi, ſed fœderibus,
„ ſed autoritati derogaturum eſſet Evangelicæ,
„ viſum eſt Senatui poſt multam ac diligentem
„ cogitationem armis rem gerere. Quamobrem
„ audite milites optimi, quæ cuſtodire vos in-
„ terim æquitati ſit conſentaneum. Principio.
„ Verbum Servatoris noſtri JEſu Chriſti mente,
„ quo malis affectibus moderemini facilius, ju-
„ giter retinetote. Quæ dux & ejus conſiliarii
„ vobis juſſa dederint obedienter ſuſcipitote.
„ Ab ædificiis incendendis, agris devaſtandis,
„ hominibus occidendis, niſi ſic facto fuerit
„ opus, manus abſtinetote. Non protervi,
„ non

„ non blasphemi, non temulenti, non viola-
„ tores, non raptores estote, quo nemo non
„ intelligat, quid sit militem agere Christianum,
„ nec petere quicquam hunc, nisi justitiam.
„ Demum si ventum ad manus fuerit, memo-
„ res Dei, & Christi, nec non virtutis majorum
„ ut conscia veritate & fortitudine corroborata
„ nihil timeat contra justitiæ contemptores stare,
„ pro justitia quam validissime viros vos exhibe-
„ tote. „ Post hæc duci milites commendantur, ne quem vili pendat, ne abutatur, ad eos servandos, quam perdendos temeritate, promtior sit. Vexillario vexillum datur his legibus, ne milites seducat aut deserat, illud ipsum autem vel referat, vel animam simul amittat. Postremo Sacramentum sequitur militare, quod à Consule conceptis verbis præstatur.

His ergo sic peractis, ubi quam felicissime profecturis omnes sunt comprecati in nomine Dei dimittuntur. Horis pomeridianis continuo Jacobus Werdmyllerus dux eligitur alius, vexillifer Georgius Schnorphius, sexcenti milites iterum, ut si qua necessitas ingruat, in promptu sint. Nocte sequenti Rodolphus Dumisius & Nicolaus Brunnerus Wila redeunt, ubi fuerat hactenus disceptatum propter Abbatis cucullum: astutum & fraudulentum supra quam credi possit Monachum testificantur: Si nos, inquiunt, habenas remiserimus, actum est apud Wilenses de justitia verbi. Doggios item non vulgariter moveri, quod mortem Jacobi Serarii tam feramus leviter, haberi milites sexcentos admo-

admodum ſortes in ultionem delectos, qui ſi non ſufficiant, ſex millia daturos, tantum fortiter agamus. Huic non abſimile nuncium de Durgæanis accipitur, quare Tigurini, tametſi nihil in homine confidendum noverunt, alacriores tamen per omnia facti ſunt.

Poſtridie Joan. Edlibachius & Meyerus, redeuntes è caſtris, docent primo die cænatos omnes Bremgarti, dein ſe quatuor comitantibus præiſſe Muriam, vexillo paulatim ſubſequente, conveniſſe Abbatem cum Sylvano quodam repertum & Suitenſi, qui tum Præfectum agebat Vallisfortis. Abbatem ſua præſentia nihil lætum perſuadere continuo, ut diſcedant, conatum, adventurum enim Præfectum Badenſem è Sylvavania cum Comite centeſimo vigeſimo quinto huic paratam cænam: hic vero ſi quid periculi ob notam diſſenſionem contingat, non absque dolore ſuo futurum. At ubi ſæpius hoc idem repetiiſſet, ſe tandem dixiſſe, non referre quisquis veniat. Interea Sylvanum ſubductum, alterum manſiſſe donec vexillum nemine præſentiente jam intra procinctum introiviſſet. Perterritum Abbatem mox vidiſſe quæ res foret, excepiſſe tamen milites, ſed ficta fronte, hos diſcubuiſſe, commediſſe quicquid Sylvano fuiſſet inſtructum. Sic ergo durare velle, dum aliud ſit agendum. Hæc ubi dicta, quod finem contumeliarum in ſe & contemtus in Eccleſiam Dei Senatus anhelabat, profectionem cum Auguſtali ſigno (Panerium vocant) decernit, parantur conſilia, quæ quidem, ne quis enunciet, jure-

jurando cavetur. Utinam ab eis non fuisset declinatum, multo felicius enim haberet hodie pietas!

Ad quinque Capita jam expeditiuncula Tigurinorum penetraverat. Cessat ergo Sylvanus, trepidatur locis omnibus, concurritur, consultatur, nam improvisum hoc factum acciderat: ita enim à comparibus eatenus erant persuasi, ut si millies à Tigurinis bellum fuisset indictum, nunquam credidissent id factum serio. Tumultuario quidam milite putant obviandum, alii negant, & quidem efficaciter. Lucernani consilio habito dimittunt qui moneat Tigurinos, uti monasterio relicto Bremgartum repetant, tunc enim de tam improviso tumultu cognituros, si morem gesserint, rem finem brevi habituram, sin aliter, adventuros quanta maxima vi possint, manuque litem composituros. Igitur sibi caveant. Interea bombardas omnis generis, abundant enim, protrahunt, arma disponunt, commeatum valde profecto tenuem ut in tanta rerum omnium caritate penuriaque comportant. Tum curriculo miles Tigurum accurrit, isthæc omnia nuncians: Insuper ait, Stollium respondisse Lucernanis monasterium captum retinere statuisse, donec vel à Dominis suis exire jubeatur, vel vi expellatur. Ergo visum est Senatui subsidium CCC militum submittere. Deinde vero ne bellum cœptum in eum locum præter suam opinionem incumbat, hostilem multitudinem distrahere: quare jubet tormenta quatuor carrucaria cum aliquot uncatis, quæ vocamus, Rap-

per-

persuilam versus dirigi, ut oppido minitentur. Has vero sequitur Sacramento militiæ dato Werdmyllerus cum suis per lacum. E curia sine mora Panerium cum suis ceremoniis, tympanis, tibiis, tubis mixtum sonantibus cum vexillo tormentario perpetuo comite profectionem postridianam edicens profertur. Sub Vesperum ruris vexilla novem, sine quibus illud nunquam proficiscitur, in Urbem intrant: molis ingentis bombardæ profectionem in ponte juxta Curiam interim expectant, stant currus similiter globos æneos, pulverem, commeatum gestantes. Postero die quæ nona erat Junii, præmissis impedimentis omnibus, viri quater mille congregantur in campum monasterii, jurant quo superius paulo dictum est modo, contra Tugium discedunt. Ducebat Georgius Bergerius, Joannes Suiterus panerium, tormentorum signum ferebat Jodocus Cusanus. In hoc numero Zuinglius injussu Dominorum armatus conspicitur; quid virum doctum, cordatum, pium moverit, conjectabit facile, cui pietatis est vis perfecta. Capellam veniunt (Cœnobium id est citra Tugium in finibus Tigurinorum) adhuc multo die, cognoscunt Tuginorum octingentos in Bara vico considere solos. Ergo quibus tranquillitas & Evangelii prosperitas fuerant curæ, monent, ut recta in planum ad hostes descendatur, reliqui prohibent. Piis si fuisset obtemperatum consiliis, Helvetia pristinum statum facillime recuperasset. Hæc Tugini ad Lucernanos propere perscribentes auxilium invo-

cant. Igitur tanta nocte multitudo decimam circiter horam evolat, ut revocandi partim essent, ne suus primario signo defuturus esset numerus. Reliqui Tugium properant Jacobo Martino duce, Jacobo Hasio vexillifero.

Persuasi erant mane proximo à Tigurinis impressionem in Tuginos futuram. Postridie bellum denunciantes, literæ cum tubicine dimittuntur, & equite ministro publico Tugium. E prandio decurrens Jacobus Martinus audita tuba literas excipit, redit, coram discumbentibus legit: Verum dico, nemo præ horrore deinceps illorum ne bolum quidem gustavit. Interea responso Stollii accepto, vix horis tribus post vexillum, cum Panerio proficiscuntur Lucernani. Jo. Hugo dux erat, Nicolaus de Meggen signifer, Mauritius à Mediavilla tormentariorum vexillarius. Per temporis angustias consuetudinem servare non licebat, quam tantum, quia patrii soli, subtexere libet. Ducem Senatus major ex Senatoribus conflatus & centum viris legit: Signiferorum dignitas est perpetua: in militum delectu, quem Senatus jusserit, proficisci cogitur. Tempus exeundi cum jam adest, vexillum manu simulachri militaris, quæ multa per crateris, qui surgit è medio labri fontani, circuitum sunt, pridie tenetur ad Vesperum usque. Si signum est primum, Oliveti montem habens acu pictum, semper est adjuncta flammula tormentaria. Interim ex rure milites confluunt, ut dictum est de Tigurinis. Insequenti mane sub lucem per oppidum cornibus orichal-

ceis

ceis duobus, quibus ex privilegio utuntur, horrendo mehercule ſono, milites excitantur primario ſigno pendente, tympano, reliquis. Confitentur peccata, Miſſam audiunt, Euchariſtiæ panem ſumunt, ad cibum & arma ſe conferunt. Iterum crepantibus cornibus aut tympano conglomerantur in forum piſcarium omnes. Scultetus accedit, belli numeratis omnibus jusjurandum accipit, quod Civitatis decus & commodum pro virili ſuſtinere, tueri, promovere, priusque mortem oppetere, quam turpiter redire domum velint. Quibus peractis, agmine facto recedunt. Horum quidem hactenus nihil omiſſum, ubi bello ſolum infeſtatum eſt patrium, hodie nihil non excluſum quod tempus erat anguſtius, quam ut vel minimum effici pro conſueto potuerit. Quod ſequitur fit tamen ſtatim poſt profectionem. Thomas Murnerus monachus ſectæ Franciſcanæ Lucernanorum præter morem plebejanus, egregius impoſtor, perpetuus Confœderatorum oſor & conviciator, ne non eſſe curæ putaretur ſibi tumultus tam gravis, bis ſingulis diebus mane ſubque cænam verba facere ad populum, inſtituit, ut Deum cum ſanctiſſima Chriſti matre continenter & in oculis & in pectore tenerent, precarenturque victoriam ex tam ſævis hæreticis, & ne fides ſua deficeret, largiantur, multaque hujus generis lamentanti ſimilis, & cum videbatur excandeſcenti, monuit. Supplicationes molitur item, populum & imprimis mulierculas jubet, proxima concione frequentes & ex-

 pedi-

peditas adesse, nam peregrinationem futuram. Hortatur præsentes multo diligentissime ad ea petenda, quæ modo retulimus, deinde quid sit constitutum enunciat: nempe quærere, nec non implorare beatissimam Virginem Mariam Ebicenam, ut ea præbeat, quæ sibi saluti sint, hostibus damno, si fortassis ita liberari tandem ab illa tam crudeli & hæreseos & discordiarum molestia possint. Quibus dictis è suggestu descendit, ante crucis aram calceos deponit, in genua procumbit, orat, sumpta mox cruce supra pectus aurea, me, inquit, crucem suam quisque tollentes sequimini: cursim templum deserit, multitudo sequitur, simul Ebicenum usque contendunt. Ibi verò missatione & preculis ad hujus præscriptum peractis, postquam rusticanæ mulieres supplicationes frustraneas, maritosque suos nunc ut antea sæpe sub fidei prætextu pensionibus defendendis objectos neci, graviter exprobrassent, eodem quo prius agitati Spiritu recurrunt. His præstigiis conatus est monachus emereri de Deo sibi & suis gratiam, Tigurinis & consortibus superinducere malum.

Jam Suitentenses audierant volare per lacum Rappersuilam versus Tigurinorum vexillum, quod sibi minitaretur, quamobrem anxii, ne ab ea parte periculum instaret, tabellarios dimittunt ad suos, qui propius lacum Tigurinum incolunt, monent omnia quam diligentissime fortissimeque circumspiciant ac muniant in suum usque adventum, ne quod à Tigurinis detrimentum capiatur. Inprimis Eremitanos jubent

Phefico-

Pheficonum arcem occupatam fimo lapidibusque firmare : Villanos præfidium Hircelo monti, ne quis hac perrumpat imponere. Ipfi interim cum figno quod æque panerium vocant, Uriis & Sylvanis, ut è veftigio fubfequantur, follicitatis, ad Satellum montem usque fuis ut adfint progreffi, retrahuntur magnis quidem precibus per literas Tuginorum, nam omne Tigurinorum robur adverfus fe Capellæ confidere. Hìc vocantur & Urii, & Sylvani, quique jam olim montes fuperaverant, quater mille militibus, Vallefiani. Similiter ex itinere contra Murium Lucernanus miles retrahitur. Sed & Tiguri trepidatum eft bis interim. Semel dum auditum erat Suitenfes occurrere Werdmyllero: nam repentino delectu Joan. Æfcherus dux cum quingentis militibus, & quinque tormentis grandiufculis Suitenfibus opponitur Joanne Dumifio Vexillario. Deinde Lucernani dum poft profectionem nunciarant Stollio ni difcedat, periturum cum fuis. Cum Senatus enim ignoraret Lucernanos averfos, jamque nox effet, ac opus fubfidio videretur, milites ex rure haberi tam repente non poffent, præco tubicine præeunte per Urbem clamat, vexillum extraordinarium à Senatu permiffum (eodem die fuerat id ultrò petentibus negatum) huic qui fe jungeret & Dominis gratificaturum, & ordinariæ militiæ fructum olim percepturum. Jacobus Egerius ante curiam figno fublato jam, ac Georgius Aureolus dux in equo milites fenfim confluentes expectant. Ubi numerus ad trecentos putatur creviffe,

visse, quum ultra differendum non existimarent, nam hora noctis jam erat nona, sine tympano, sine tibiis iter ingrediuntur, festinant aucti non nihil etiam in itinere. Verum illo posteaquam perveniunt admodum fessi, Stollium cum suis in apertum exiisse, ne intra muros opprimeretur, comperiunt. Quod quidem consilium, quia milite nesciente sumpserat, effectum est, ut multa relinquerentur, quæ nunquam deinde sunt recuperata (id quod locum postea fecit apud hostes obtrectationibus non honestis,) nam impedimentis præmissis, nemo non conjectarat experimentum quoddam sui à duce quæri, donec vexillum longius magis ac magis advolare conspiceret. Parum tum abfuit, quin ex militum indignatione dissensionis aliquid fuisset conflatum. Constiterant in colle quodam per noctem sylvoso, perpetuaque palude sic munito, ut uno tantum loco pateret aditus. Hîc postquam acceperant, Lucernanos avocatos, & quantus hostium concursus ad Tuginos confieret, Rusa trajecto propius admoti ad signum primarium, Chnonaugiæ castra metantur, atque ibi ad usque tumultus exitum perdurant.

Flagitium quovis supplicio dignum, priusquam progrediamur, hic commemorandum vel ideo videtur, ut manifestum fiat, quam sit impietas semper, & ubique sui similis. Quo die nunciatum est dè Lucernanorum adventu, Sartor adolescens, qui operam Bremgarti pro mercede locaverat, Tigurum adveniens conqueritur in taberna diversoria, uti dum attentius

labo-

laboraret ipſe, clam inter ſe, nulla cura cujuspiam præ ſtudio habita, collocuti ſint ante Officinam duo provectioris ætatis viri: „Poſtquam „Lucernani præſto fuerint ad invadendum ma- „nipulum Tigurinorum, vix ſe continebunt ci- „ves noſtri, quin excurrentes ſuppetias his fer- „re conentur. Tum illud conſtitutum nobis, „quod vim partis adverſæ reliqui ſuſtinere ne- „quibunt, uno impetu ſervos mercenarios om- „nes, quia cum iis adverſum nos ſuffragiis ege- „runt perpetuo, tollere, atque Ruſa demer- „gere, quisnam ſcire poterit, quid ipſis acci- „derit? Dein oppidum continuo claudere, „qui foris ſunt excludere, civitatem tueri tan- „tiſper, dum auxilio Capitum liberabimur, „atque ita tandem ad majorum religionem da- „bitur reditus. His auditis, inquit, ego pro- „tinus in pedes me contuli, nam tam miſere „perire nondum erat apud me conſtitutum.„ Hactenus ille. Continuo ſermo hic ad me defertur, equidem quod res videbatur non contemptim prætereunda, curo ut exactius perquiſitis omnibus referatur ad Senatum. Hic vero quia multa concurrebant rem veri ſimilem facientia præſidium quadraginta trium armatorum extemplo Bremgartum cum cauſa perſcripta dimittit.

Dum hæc ultro citroque geruntur Joannes Rodolphus Lavaterus Præfectus Chiburgenſis Durgæam omnem brevi temporis curriculo ſexcentis viris jurejurando voluntariam obſtringit, nihil enim tum gratius evenire potuerat, quam ita liberari dominatione quinque Capitum. Inde

 ſeptin-

ſeptingentis, inter quos trecenti & triginta bombardas geſtabant, ſecum deductis, in ditionem intrat Abbatis Sangallenſis, Wilam in deditionem recipit non admodum invitam. Durgæanis, hæc ubi tranſacta, dimiſſis ad alios, qui Capellam erant ituri cum vexillo, pergit ipſe ſuis modo comitantibus ad Rhenivallenſes. Abbas quod fuga ſibi conſuluerat, efficit ut hi quoque ſibi conſulant dedendo, præſtandoque fidem imperata poſthac facturos.

Decima Junii per literas ex caſtris Capellanis Senatus noſter fit certior, poſtridie ſe mane hoſtem invaſuros prælio, quamobrem Deum precentur omnes id præſtet, unde nomen ejus ſanctificetur. Omnes utrinque fere copiæ conveniunt. Præterea re comperta, lacus Tigurinus viris ultro procurrentibus partim adverſus Eremitanorum & Villanorum præſidia, partim Capellam verſus adeo nudatur, ut facile Senatus intelligeret, quam ſpem, dum urget neceſſitas de ſuis concipere debeat. Jam vero rebus ad prælium quæ pertinent in procinctu ſtantibus, Æblius Glareanorum Amanus vir bonus, integer, amans patriæ, penſionariorum hoſtis adcelerat mirum quanto ſtudio & labore. Is ſuppliciter petito colloquio, præfatoque, quicquid eſſet acturus promiſſu fieri partis adverſæ, tanta diligentia, tanto verborum robore, tantis lachrymis, per Deum, per Chriſtum, per Paſſionem Chriſti, per virtutem Evangelii, per amorem patriæ, per Juſtitiam omnem, per omnia divina atque humana, per omnia quæ poſſunt vel cogitari

vel

vel dici, precatur, ne quod propoſitum ſit agere pergant, ni velint fortunam, laudem, honorem, dignitatem, fraternum amorem, breviter totius Conſœderationis felicitatem omnem ſemel ſubverſum iri ut præ ſtudio videretur importunior. Alia via tentandum, quod quærant, nempe conditionibus pacis, cum illæ ipſæ id æque conficiant. Obſecundent ergo, ne amplitudo & prudentia ipſorum male audire cogatur, iterum per ſacra rogat omnia.

Verum nihil proficiens, petit aliter, ut horam ſibi dilationis ſaltem condonent. Hæc difficulter impetrata, Bernenſium legatis in caſtra perveniendi locum facit. Qui quidem præſentes, non ut Æblius, ſed velut cum imperio de pace, incertum cujusnam juſſu tractare incœptant. Bone Deus, quam id male habet Tigurinos (pios, inquam, nam non deerant, quibus quod fiebat & gratum & præcognitum putabatur) utpote, qui tot meritis antecedentibus, amica pollicitatione virium contra Sylvanos, perpetua cum his jure, dum contendunt, præſentia, ſuſceptione belli tam gravis eorum maxime cauſa, taceo fœdus nuper ictum, quodque paulo ſuperius dixerunt, animum de non bellando penitus abjeciſſe, facturosque quæ Tigurinis hac in re viderentur, cum jam Bernenſium expectarent auxilia, legationem audire de pace compelluntur. Ad hæc ergo, dum in præſentiarum objectantur, reſpondent, olim dixiſſe, jus non arma contra Sylvanos ſe laturos, obliti nuperrime ſe ſcripſiſſe, pacem cum

Silva-

Silvanis compositam, eo quod fidem jam iterum, paciscentes cum Ferdinandinis adversus Evangelium, labefactarint, prorsus nolle. Tametsi vero nihil, quod pacis est, tum conficeretur, moles tamen jacta belli sistens impetum, effecerat, ut rationes invenirentur posthac facilius eum ipsum vel in totum abolendi, vel alio saltem detorquendi. Tantum valuerat Æblii pertinax deprecatio. Suitenses interim Senatum Tigurinum hisce fere verbis compellant: „Chariss. fidissimique Confœderati, domum exercitum reducatis, pacemque nobiscum habeatis „obnixe petimus concedentes ut verbum Dei „sine cujusvis interpellatione per Præfecturas „& Comitatus communes enuncietur. Petitis „si morem gesseritis, erit id quidem nobis gratissimum. Sin minus, in jus pro fœderis tenore vocamus.„ Super his literis dum consultatur, tabellarius à Berna tanquam à Senatu cursim advolat eques Epistolam afferens graviter conquerentem, " quidnam subsit causæ, cur „toties monentibus non pareant, cum olim intellexerint, se contra neminem, nisi jure pugnaturos. Proinde sciant, eo quod tam crebris admonitionibus sint pro fœdere vocati, „cum Urso quidem profecturos esse, non tamen ultra ditionis suæ limites: prohibituros „capita ne transeant in fines alienos: Velle, pariter ut & ipsi faciant: dein belli causas prospecturos, cognituros que, utra tum partium „judicio stare pernegaverit, alteri cum suis adfuturos. Mittant igitur legationem super hoc

„nego-

„ negotio Araugiam : ibi namque, quicquid id „ ſit exploratum & expenſum iri„ Quis non rei cognoſcat improbitatem ex tam inconſtanti ſcriptione ? Velle proficiſci quidem virtute fœderis, auxilium autem præbere non niſi, qui ſint ſtaturi judicio, tanquam dubium ſit, utra pars judicium ferre aut non ferre ſub æquo judice valeat. Tum velle cognoſcere cauſam, quam, utpote ſuam non minus quam Tigurinorum, tam habebant compertam, ut proprios ungues. Reſponſum eſt Suitenſibus pro veteri conſuetudine Tigurinæ civitatis, ubi ſignum illud auguſtius, ibi Tigurum, quo circa nunc tandem jus in caſtris quærendum. Mox Epiſtolæ perferuntur ambæ Capellam, leguntur pro concione : quæ ſcripta erant à Senatu Suitenſi facile negliguntur ut inſidioſa, non enim volebant aliud, quam ut caſtris nudatis milite remiſſo per licentiam tum facere poſſent, quod liberet. A Bernenſibus nunciata tunc demum de legatione mittenda recipiuntur, poſtquam boni viri, qui fraudem olfecerant, vincere non poterant. Induciæ per triduum factæ noſtros puerilem in modum ludis committunt. Hoſtes interim eſuriunt plus ſatis, tametſi ditioribus quibusdam proſtibula, nedum cibus & potus ſuppeterent, unde quoque petulantiores effecti, præter induciarum legem ditionum finibus acceſſis, agere convitiis & maledictis cum Tigurinorum militibus impune. Boni tamen interdum viri vel cognati vel alias inter ſe noti colloqui, atque de belli cauſis apertius diſſertanti-

bus

bus Suitensium unus dictitare : *Si deprecatores non essent, facile partes reconciliarentur.*

Eodem tempore Senatu nostro ad consultandum sedente, tabellarius adcurrens gemibundus præ festinatione lassitudineque literas tanquam à Ferdinando reddit in hanc sententiam. „ Accepimus sublatis vos signis profectos jamjam „ castra posuisse, & exitium minari Capitibus „ quinque christianissimis, Lucernensibus, Uriis, „ Sylvanis, Suitensibus, Tuginis, quibus cum „ nuper ictum est nobis fœdus. Quæ quidem „ res si sic habet, cavete, ne quem lædatis, „ nam aliter si factum fuerit, neque fides id no„ stra, neque justitia dissimulare valebit. Qua„ propter scire volumus, quidnam feceritis, „ & quid in animo vobis sit consilii.„ His postremo loco neglectim auditis, (norant enim omnes terriculamentis Ferdinandum pro Confœderatis, non armis pugnare, ut cujus sanguis à majoribus usque reniteretur) nuncius cibo refectus & potu sine responsione dimittitur. Literæ verò legatis, qui ad institutum concilium destinati fuerant, committuntur. Iis euntibus comes jungitur Consul Constantiensis ; numerus nempe deprecatorum subinde crescrebat.

In his Durgæani viri tum robore valentes, tum animo, Tigurum adveniunt alacres, hucusque mendaciis pessimorum hominum remorati adeo, ut dubium aliquoties foret, Tigurinis opera præsidioque suo gratificarentur nec ne. Quoties juventutem Durgæanam vel coram intueor, vel absentem contemplor, non possum

non

non ſuccenſere Sarcopolis iſtis quam graviſſime, qui hactenus eam haud aliter vendiderunt Principibus, quam boves ſolent vendi, præſtantem quidem & corporis viribus & formæ decentia & animi fortitudine, ſed & laboris ſtudio, & tolerantia ni pronior ad ocium per blanda illectamenta modicæ pecuniæ, quamvis acervis interim illis cedentibus, fuiſſet reddita. Nam quotieſcunque opus habuerunt militibus, hinc hauſerunt tanquam ex fonte, etiam dum per totius Helvetiæ deeſſent ambitum, quos extruderent. Hos miſerunt in alienam terram contra hoſtem alienum, perdideruntque tanto numero, quantum nemo facile dixerit. Quod ſi qui tamen reduces in patriam facti ſunt, ocio & flagitiis adſueti, pravo exemplo tam reliquam juventutem perdiderunt, ut jam in peccata ſua ſponte rueret, in bella ferretur, nec quidem vocata. Sed & meretricum examina Virginibus vitiatis inde prodierunt, unde familiis ignominia, parentibus orbitas, agris & pratis vaſtitas, & pecori neglectus evenit minime vulgaris. Nonne juſta hæc indignatio contra tam perniciosos negotiatores, cum iſta omnia pravitati ipſorum referenda ſint accepta? Qui cum præter ventrem & venerem Deum neſciant, tamen audent viros Evangelicos hodie perverſores fidei, male Chriſtianos, apoſtatas, hæreticos appellare, juſtitiæ injuſtitiæ, pietati impietatis, & in ſumma pravitati bonitatis titulum imponere. A quorum moribus eſt, quod in præſens per tumultum bellicum geritur, nam non

modo

modo Durgæam, sed totam Helvetiam corruperunt, cujus instaurationem dum moliuntur boni viri, priusquam admittant, armis resistunt. Verum habet Deus justum oculum, simplicitatem enim populi Durgæani respiciens misit verbum Evangelii quo tandem à dicta mente, quam seducti gestaverunt, resipiscant. Istos autem magis magisque indurans docere videtur, quam perire velit Pharaonis Exemplo tam hic, quam in sæculo futuro. Nos interim tamen eos miserantes adnitimur, ut oculis apertis videre, quod est Dei, tandem contingat.

Durgæani, sumpto prandio, mox in castra pertendunt. Succedunt his profectis quingenti adhuc, & postridie verbo Dei non negligenter audito, eodem se conferunt. At priusquam locum sibi destinatum caperent, ut in ordinem compositi castra introierant, sic prodeunt, usque dum ex hostium stationibus videri possent & cognosci, si Stoccerus præfectus, qui jam pridem ad Tuginos abierat, aliquid gaudii scil. ab eorum præsentia conciperet.

Jam vero Glareani quoque cum Fridolino suo Utznachium usque progressi sua tueri contra quosvis, & si congredi pararent exercitus illi majores (sic fama ferebat,) interponere se medios in animo habere. Werdmyllerus dux eam Senatui literis rem significans, se circa docet castrametatum expectare vexillum Doggiorum, quibus cum sit deliberaturus, quomodo rebus præsentibus obviandum putent. Glareanorum Oligarchi vicinitatis jura non per omnia

ſanćte cuſtodiunt, oculos torvos & verba maledica conjicientes, imo & facta, ſi licuiſſet, adjeciſſent non gravate, maxime dum vino madent, nam tunc adeo proterviter conviciantur, ut ſemel atque iterum dux eorum Werdmyllerum rogaret, ne quod facerent, iniquius acciperet, nam temulentos omne imperium recuſare. Tum hic: „Agimus Deo gratias, qui „ hujuſmodi querelis vacui, ſobrios, obedien- „ tes, & pios milites obtinemus. „

Nocte undecima Junii circiter horam ſecundam conqueruntur per literas Suitenſes apud Senatum, induciarum jus à Werdmyllero violari, quod in ſuo territorio cum exercitu conſideat, igitur petere locum expurget. Senatus ſuaviter reſpondens promittit, ſe, prout deceat, facturum omnia. Eadem nocte majoribus ex caſtris monetur Senatus, rogaturque diligenter agat, prudenter ac fortiter, nam omnia proditionum eſſe plena, nec conſentiat in aliquas pacis conditiones, niſi honeſtas & omnibus æquas & tolerabiles, aliter enim ſi faciat, futurum ut poſteriora prioribus reddantur multo magis deteſtabilia. Verum ne neſçiat quonam modo reçipere pacem conſtituerint, has eſſe conditiones, quas velint & præſcribi & ſervari, nempe libertatem Evangelii legendi & prædicandi per totum Confœderationis ambitum, penſionum in perpetuum abolitionem, penſionariorum, qui capita factionum eſſent, eradicationem, ut bona illorum cedant in expenſas totius exercitus, ut fœdus cum Ferdinando penitus obliteretur, ut

impune sit omnibus sibi tulisse auxilium, & demum ut Concilium Araugiense transferatur in castra sine mora, nam dilationem exercitus magnitudinem ferre non posse. Ociari namque milites, quorum numerus jam evicerat octo millia, nihilominus edendum, & bibendum interea, nec quicquam supportari, nisi ex ditione Tigurina, deesse frumentationes, non agi prædas, terram vero nostram necessitati, non luxui suppeditare, quapropter non ab re in consultando maturandum putare.

Nihil est aliud actum Araugiæ, quam ut omnes intelligerent improbitatem, qua nitebantur vel supra vires contra Verbum Dei pensionarii. Copiæ jam hostilium castrorum octo millium pariter censentur, laborant ingenti rerum omnium penuria, imprimis frumenti, cujus modium sex aureis Tigurinis emere cogebantur, id quod pro stationibus graviter non solum conqueri Tugini, sed deflere miserabiliter, interim rogitantes per omnia sacra, ne pedem conferant, facturos quantum sit in ipsis, quicquid jusserint. Dumque rogarentur quidnam ederent, respondere, caseum & butyrum. Constat complures ultroneam subiisse captivitatem tantum ut aliquando saturarentur, nam quod remitterentur ad suos non dubitare.

Duodecima Junii legatio Abbacellanorum & Glareanorum apud Senatum intercedens audit, huc rem devenisse, ut in castris expedienda sit. Tum petit Dolderus Glareanus, uti Werdmüllerus ab Utznachio vexillum deducat, nam augeri

geri ſubinde (jam enim Doggii cum ſexcentorum, ut ſunt robuſtiſſimorum vexillo, non quidem ſericeo verum ex bilice, quod à ſeptuaginta non fuerat in aperto conſpicatum annis, ſe junxerant) ut incertum, quid tandem ſit moliturus. Senatus promittit, quietum eum per inducias fore.

Sanctogallenſes eodem die centum & octoginta mirum quam militariter inſtructis viris Tigurum intrant commeatu probe comparato, tormentis quatuor præliaribus (ſic vocamus) & totidem uncatis. Friburgenſes, Salodori, Curienſes, Glareani, tunc quoque Senatum de pace interpellantes, hujuſmodi fere ſermone repelluntur. „ Quod petitis, ſi ex animo fieret, „ olim idem, ne res ad tam gravem belli tu- „ multum perveniſſet, obiſſetis, ſed ita egiſtis „ perpetuo, tanquam adverſarii noſtri, dum „ conviciis nos proſciderunt, dum viros Evan- „ gelicos occiderunt, dum tales ſe præſtiterunt, „ ut nemo noſtrum inter eos tuto verſari po- „ tuerit, gratum vobis fecerint. „ (Hic tale Senatorum è medio verbum auditum: „ Ex „ ſtationibus ad noſtros clamant, Zuinglium „ hæreticum an ſecum habeant, quam igitur „ pacem componere cum hominibus, tam pro- „ fligatis conamini?) Quapropter cœpto deſi- „ ſtite, hâc enim eundum, qua cœptum eſt. „ Tranſeuntibus in caſtra forte nos comites eramus, traxerat admiratio rerum, & multa quæ audieramus militibus aliis usque huc minus uſitata. Ea quia vidimus, & experti ſumus, non poſſumus

mus non huc adfcribere, ut & pofteri, fi qui fortaffis hæc lecturi funt, habeant quod & mirentur. Difciplina virilis tanta fuit, quanta fidelem exercitum imprimis decuit. Mane poft preces privatas concionibus divinis opera diligenter navata, difcedere quisque in fuum locum, ibi tum vel agere officium vel cum fuis fermonem cædens de Deo, rebusque præfentibus juffum ducis exfpectare. Jocularibus aut ludicris aliqua parte diei dediti nil, quod offenderet, tranfigere tamen. Dormire quandoque provectioris ætatis viri, aut nocturnis defatigati vigiliis, fed cum modo. Militaribus ludis, puta curfui, faltui, difco nemo vacare propter continuos imbres poffe, nam nefcio, fi ab eo die, quo profecti funt, vel una dies fine pluvia tranfierit. Interea temporis adeo nulla in caftris confpicari mulier, ni quid venale ferret, ut veterem caftrorum rationem nunc demum reductam vere, & laudabiliter dicere poffis. Eam rem, ut apud fe non vifam Argentoratenfis legatio, quæ pacis conficiendæ gratia pariter advenerat, fupra modum & ftupere & commendare. Tefferarum ludus aut chartularum ne per cogitationem quidem intereffe; fimiliter nemo contra quempiam indignari, nemo blafphemare, nemo maledicere, jurgia nemo conferere: Temulentiæ, quamvis abundarent vino, locus nullus, ciborum ufus quam frugaliffimus, vere dixeris, quod cœptum eft in his caftris, in urbes & oppida fi valeret introduci, jam ad exemplar majorum reftituta omnia. Equidem

poftea-

poſteaquam hæc vidi, non potui non quam feliciſſime Tigurinis ominari,

Bernenſes iterum Senatum literis perturbant, quod bellum cœperint nefarium, indecens, minime honeſtum, quocirca tempus eſſe, pertinaciam tandem deponat, ſiquidem conſultum ſibi velit. Duo videntur Oligarchi ſtulti (nam hi literas dederant, non Magiſtratus Bernenſis) hic penitus pro ſua ſtultitia non examinaſſe, unum, quod furor fit læſa ſæpius patientia; nam mirum quam inde commoti ſint quidam è Senatoribus noſtris, qui hactenus uni paci ſtuduerant, alterum quod, ut mendacem, ita fraudulentum oporteat eſſe memorem, ne deprehendatur. Quo modo, malum, convenit his literis cum eo, quo nuper ſunt Araugiam vocati Tigurini, ut illic jure diſcernantur omnia. Quid manifeſtius item, quam Tigurinos bellum non niſi per gravem occaſionem incepiſſe? Atque ita non, ſi tu recte cogitaveris, incepiſſe: nihilominus audent iſti. Temporum hæc malignitas, nam impunitate conceſſa, quis pravus non audeat? Literæ mox in caſtra deferuntur. Prælectæ movent æqualiter milites, ut antea Senatum. Sæpè optatum eſt, ut Bernenſes non eſſent in fœdus & civitatem recepti, donec palam fiebat, improbitatem Oligarchorum iſta machinari. Adeo res eſt noxia, vir improbus, accidit enim, ut viri boni propter talem audire male ſæpenumero cogantur, unde ſimultates interdum ſubnaſcuntur, ſine tamen partium culpa.

Inter hæc Werdmüllerus trajicere lacum jussus, Wedensuilam versus, ut ea parte sit Suitensibus infestus, literis, nescio quo pacto, depravatis redit ad Cœnobium Rutiense. Tranavit tandem iterum monitus decima quarta Junii navibus sedecim, quo die finiebantur induciæ. Res deprecatorum opera jam huc erat perducta, partes ut sese coram audire vellent. Ergo securitate permissa Joannes Hugo Lucernensium dux primarius ingenti cum equorum multitudine castra Tigurinorum ingreditur, eodem die & pontem ad id ipsum exædificatum conscendens Orationem habuit in hanc sententiam: „ Impingi capitibus quinque violentam „ quandam Præfecti Badensis in delatam Pro- „ vinciam institutionem, id quod vel ideo veri- „ tati consentaneum non esset quia nihil minus „ unquam ut majoribus ita sibi placuisset, „ quam vim sine respectu justitiæ. Quod au- „ tem fœdus pepigerint cum Ferdinando Prin- „ cipe habere causam adeo probabilem tum apud „ Deum tum apud homines, ut miretur, si quis „ existat, qui vel cogitando adversetur. Quid „ facerent enim? Postquam à Tigurinis, Ber- „ nensibus & aliis ut religionem majorum de- „ sererent, ipsorum reciperent tam anxie pre- „ merentur? An non ut pios decet & ut quos „ majorum vestigia movent ducuntque, de- „ center fecerint? An potius fuisset relinquere, „ in quibus hactenus sperarint majores salutem „ esse consecutos? Cumque hi quos minime „ decuerit, tam immania contra se molirentur,

„ ipsi

„ ipsi vero de pietate Principis jam olim intel-
„ lexissent injustiusne pro auxilio apud eum la-
„ boraverint ? Tum annon idem sibi , quod
„ fuerit licitum Tigurinis ? Hos nempe cum
„ Constantiensibus pariter antehac hostibus Civi-
„ tatem habere conjunctam , atque adeo simi-
„ lem ob causam , qua ipsi cum Ferdinando,
„ nempe ob fidem suam. Quur sibi vitio ma-
„ gis vertatur quam illis , præsertim cum ni-
„ hil sit hinc damni fœderibus ? Nam minime
„ verum esse quod circumferatur hoc pactum
„ institutum in Tigurinorum & consortium per-
„ niciem, nihil enim statutum , quod vel bo-
„ na vel vitam cujuspiam lædat , sed si quis
„ se propter fidem patrum violenter persequi
„ conaretur , ut tunc tandem esset , qui sub-
„ veniret. Utcunque tamen res habeant , si
„ quid aberrarint , emendationem penitus non
„ recusaturos , modo jure pro communis fœ-
„ deris ratione secum agatur. Auditum sibi
„ non semel à parentibus quæ gestari nequeant,
„ dimitti debere. Pro hujus disciplinæ docu-
„ mento se in hoc esse totos , ut pacem ma-
„ lint , quam bellum , si qua verò sint reliqua,
„ coram Judicibus secundum fœdera benigni-
„ ter discutiantur. Per hæc autem quis non
„ dixerit moderationi satis tributum ? Si sic ad
„ pristinam tranquillitatem , animis adversario-
„ rum mitigatis , pervenire non queant , nescire
„ viam aliam , per quam huc sit transeundum.
Hæc verò tam composite , tamque fortiter
dicit , ut essent , qui nonnihil moverentur.

Mox prodit alius, Suitensis erat, brevibus in medium ad hunc modum proferens. Au-
„ dio præter ea, quæ dicta sunt, Sacerdotem
„ Suitiæ combustum non in extremis censeri
„ causis, cur Tigurini tantopere nobis indignen-
„ tur. Hic equidem velim prius omnia quam
„ rectissime considerari, quam locus iræ tam
„ hostiliter daretur: non dubium est enim,
„ si pravos ejus impiosque Sermones in Deum
„ & veteres nostras, quibus Deum hactenus co-
„ luimus, ceremonias nossetis, quin ipsi confi-
„ teremini, præter jus & æquum nihil à nobis
„ actum. Precor autem si res in tantum vos exa-
„ speravit ne unus vir, præsertim defunctus,
„ tot millibus præferatur à vobis, id enim quam
„ viros prudentes dedeceat, ignorare non po-
„ testis. Quin etiam si paululum quid pecca-
„ vimus indulgendum nobis.

His ita pronuntiatis it obviam Zuinglius dictis illorum tam celeriter, ut prima verba facile ad aures secedentium penetrarent: „ Men-
„ dacia sunt, inquit, quicquid dixerunt, at-
„ que id comprobabo.„ Stomachosius hæc acerba tam intulit repentè, quod notaverat pro singulari perspicacitate, aculeum ex Hugonis præsertim oratione quorundam simplicium animis infixum. Cæpit ergo quæ dixerant ordine confutare tam clare, ut jam nemo esset qui fucum non provideret. In primis autem quod Hugo de fœdere Ferdinandino per quam callidè insinuaverat: Docebat enim jure vetu-

vetutiſſimo Conſtantienſes in Civitatem à Tigurinis acceptos : animo autem tali , ut qui repetierint, quanta pecuniarum ſumma ejus urbis vel tantula conjunctio bello Suevico, ſi fieri potuiſſet , fuiſſet redempta : atque hoc fine, quo fidem Evangelii , papiſtica relegata , poſſent tueri facilius , ſine jactura tamen fœderis communis , id quod tam diligenter eſſet proviſum , ut cuivis perſpicuum ſit , quantæ curæ Concordia ſtatusque felix Helvetiorum Tigurinis ſemper fuerit. Contra Capitum cum Ferdinando pactionem tam abeſſe , ut huc accedat , ut nihil contineat prorſus , quod vel jus , vel animum , vel cauſam bonam præ ſe ferat. Ferdinandum enim non in Civitatem receptum , utpote qui id vilipendiſſet , ſed Conventionem lachrymis emendicatam , & ipſis & toti Helvetiæ , ſi tenuiſſent propoſitum , peſtilentiſſimam : nam eo pacto , quicquid huius regionis fuerit , totum eſſe principis oblatum poteſtati. Animum peſſimum vel hinc notum, quod ſtatim ab initio contra Tigurinos , Bernenſes & reliquos omnes apud Ferdinandinos querimonia mendaciter facta ſit. Finem palam indicare teterrimos hoſtes , ut quibus in votis extiterit & fidem radicitus evellere , nobis interemptis , & terram omnem ſibi vendicare. Ex quibus omnes haud obſcurè capiant , quid ſit , quod illi de emendando polliceantur , & quale jus expectandum ſit ab eis , quibus , quicquid æquum & bonum , adeo ſordeſcat. Reliqua quæ defendit , propterea non adſcribimus

mus, quod & supra & infra satis manifestè conspiciuntur.

Post hunc Aescherus, qui cum suo vexillo paulo ante, quia Suitenses, locis superioribus relictis, ad Tuginos descenderant, in castra majora diverterat, suadet, non tam graviter hæc expendenda, cursum res jam habere ad pacem, hunc illum sistere, nequaquam decere: lucrum non esse tanti, etsi omnia acciderint feliciter, ut pax non sit multo præhabenda. Fieri quoque posse, persuasos illos simplicitate rem prorsus ita habere, quemadmodum proposuerint, huic falsæ persuasioni contra eundum quidem, verum non tam duriter, ut Zuinglius fortasse putet.

Hinc nonnihil disceptatum, verum certis de causis Zuinglio remittente, huc ventum, ut dux cum consiliariis similiter digressi quid postero die in Castris illorum foret respondendum articulatim conficerent. Mora hæc Durgæanos, qui domi non minus fuerant solliciti, perturbatiores reddit, quamobrem literis conscriptis hortantur obnixiùs cum hoste congredi tandem pergant, si quid numero desit militum, sex millibus expleturos. Ab Egiano pago castris eodem temporis puncto viri 70. commiscentur. Lavaterus item indignabundus scribit ex Rhenivalle, quid sibi velit, quod tam diu suspendatur. Si pergendum sit, quo cœperit, diserte rescribant: sin minùs, domum repetere jubeant, milites enim se habere, quibus sic illudi non conveniat. Inter hæc suborna-

ornatus quidam ſpargit per ditionem Tigurinam, auxilium Ferdinandinum parari Capitibus in Waldshut admodum ingens, quare motus præfectus Egliſaugienſis, non intellecta fraude, ſtudioſe monet Senatum, & oculos & mentem habeat promptam, multis enim variisque modis nos peti.

Dum hæc fiunt, dimittunt Friburgenſes legationem ad Bernenſium Senatum, quibuscum (ut alias quoque dictum eſt) à multis temporibus ſingulari fœdere conjuncti ſunt, rogitantes, ne contra Capita (jam enim in procinctu erant) hoſtiliter ſigna ferant. Senatus interrogat memineríntne fœderis, quo ſibi debeant, & an eo ipſo ſtare ſit in animo. Legatis reſpondentibus & meminiſſe & ſtare velle. Ite ergo, inquit ille, domum & manete, dum jubeamini, quid fieri velimus.

Proficiſcitur ergo Urſus millibus octo Militum, tormentis majoribus duodecim, Sebaſtiano Diesbachio Duce, Urſifero Petro Werdio Senatore, Petro Pulchro flammulam inter bombardarios præferente, atque hoc animo proficiſcitur, juſtitiam ut, Senatu mandante, pro virili tueatur. Leges fert ſecum pacis, ſi Capita receperint, belli, ſi minus. Præter hæc ergo quicquid eſt patratum iniquius, aut poſt etiam patrabitur, Oligarchorum temerariis adſcribendum conſiliis. Exercitus pars copioſior Bremgartum ſe recipit, reliqui manent Lensburgi. Vini plauſtrum Elſatici Lucernam verſus tendens

dens intercipiunt, itidem & frumenti, sed precio soluto.

Quinta decima Junii fluenta Lorizæ, inter utrumque defluentis Exercitum adeo crescunt, ut Capita per nuncium Legationem Tigurinam prohiberent, donec iterum justo delaberentur alveo. Bernensium primarii non in castra, sed Tigurum Bremgarto contendunt, ne dum paciscendum sit cum hostibus, de conditionibus non conveniat, referunt de consensione, verum Senatus castra petere jubet, quandoquidem nihil hac in re sibi sit potestatis. Hoc quidem consilium tametsi non improbandum, adeo Tigurinorum propositum, quod jam velut in manu tenebant, rejicit, ni voluissent omnem Bernensium necessitudinem spretam, ut deinceps toti de illorum arbitrio penderent fere, namque quicquid de Pensionariis jam fuerat decretum obliterandum erat; negotium vero cum fuisset unius diei, vix multis confectum reddi potuit. At hæc paulo post, apertius constabunt omnia.

Postridie descensum in castra hostium cum equitantibus sexaginta; Æschero dicendi negotium injunctum, postquam igitur multitudo congregata est, & copia, quæ in mandatis habebat enunciandi concessa, fere sic orditur:
„ Si unquam antea, quæ nunc data sit occa-
„ sio, colloquendi nobis fuisset, non se dubi-
„ tare quin omnes belli causæ periissent fundi-
„ tus, quamvis ne nunc quidem desperet etiam
„ postquam aliter res ceciderit quoniam tantam
„ ingeni-

„ ingenitæ probitatis speciem adhuc sibi videre „ videatur, modo benigniter se dicentem, & „ æquis animis auscultent. „ Incipit numerare probra & damna quæ Capitum fere primores intulerint, ut in articulis est auditum. Hæc quantumvis gravia, tamen per patientiam docet transmissa, tantum ne patria communis damnum pati cogeretur. Fœdus autem Ferdinandinum adeo sibi doluisse ut dissimulare nequiverint. „ An non illud grave, atque into- „ lerabile, cogitare malum in eos, qui patriæ „ tam bene velint. Inducere velle hostem, „ talem præsertim, id est inimicissimum vel „ ab Atavis toti Confœderationi, super eos, „ qui tantopere consultum cupiant patriæ? „ Imo illorum ipsorum statui, qui superindu- „ cere moliantur? Quid enim aliud sit, quod „ parent Tigurini quam felicitas, & status in- „ columis totius Helvetiæ? Recipere verbum „ Dei, & pensiones Principum excludere, an „ non hæc ad felicitatem pertineant, & præ- „ sentem & futuram? Nec quempiam, hinc „ vim parari, cogitare debere, nam quod „ preces nequeant, & animus sua sponte pro- „ clivis ad justitiam, violentiam nunquam con- „ ficere. Pensionariis enim ideo Tigurinos in- „ festiores, quod vel soli sint in causa, cur „ convitiis pessimis, non jam dicat, furum, „ sacrilegorum, hæreticorum onerentur, sed „ criminum haud coram verecundis auribus di- „ cendorum; quodque laudem omnem, ju- „ stitiam omnem, bonos mores per Helvetiam

„ adeo concusserint, ut nisi promtissime suc-
„ curratur, periculum sit, ne penitus dilaban-
„ tur. Eosdem etiam insolenter inaugurari præ-
„ fectum Badensem diebus superioribus pen-
„ dente Bernensium & Sylvanorum lite voluisse,
„ cui dubium esse possit, qui cognitam ha-
„ beat cænam Murii tam diligenter huic, &
„ deducturis instructam? Negarent hæc, si
„ possent, inquit, verum res est apertior, quam
„ ut valeat negari; perinde jus tamen ab ipsis
„ clamari, tanquam cordi sit, cum longe alia
„ subsit ejus clamoris causa, nempe ut fasci-
„ natis simplicum oculis & mentibus abuti que-
„ ant ipsorum opera, & studio ad contegenda,
„ quæ hactenus designarint, flagitia. Hæc om-
„ nia si non sint vel sole conspicua magis apud
„ conscientias eorum, contra quos dicat, in
„ damnum Tigurinorum cedat, quicquid us-
„ que huc pronunciaverit. Quamobrem audi-
„ tis contumeliis non decentibus factis contra
„ Dominos suos, injustissimis mendaciis in ho-
„ rum perniciem confictis: paratum, quan-
„ tum in pensionariis sit, contra possessiones
„ suas, imo contra uxores, liberos, & quic-
„ quid sibi charum, externum exercitum: pa-
„ ratum patriæ nisi subveniatur, à pensionariis
„ interitum: & quando hæc eadem se ad ejus-
„ modi mala profliganda concitaverint, precari
„ nomine Dominorum suorum per Deum, &
„ per si quid avitæ sit in eis jamdum justitiæ,
„ secum quod bonum rectumque tueantur,
„ nec committant, ut Tigurinis pristinum Hel-

„ vetiæ

„ vetiæ ſtatum reformare laborantibus olim de-
„ fuiſſe præter majorum conſuetudinem di-
„ cantur. „

Hac Oratione habita, conſilioque inito, Monaſterienſes (hi Lucernanorum ſunt) cum quibusdam aliis dixiſſe feruntur, aliis jam belli cauſis acceptis, quam ante ex ſuis præfectis, domum ſe abituros, niſi pacem omnibus ſalutarem futuram per deprecatores expectarent. Jacobus Stoccerus autem, dum ſeria illa tractantur, priusquam Tigurini caſtra deſeruiſſent thraſonice jactat, ſe ducentis è numero ſuorum bis mille Durgæanos æquo campo fugaturum. Dein ſeniculum quendam crinophagum itidem Tuginum, ferunt, palam clamitaſſe, belligerare facile Tigurinis, poſtquam è Cœnobiorum theſauris tantum auri ſubrepti inter ſe diſtribuerint. Cum hoc faſtu, muliebrique temeritate res Tigurinis erat.

Eodem, quo hæc facta ſunt die, Baſilienſes & Mulhuſii (quorum vexilla interim advenerant) cum Bernenſibus Tigurinis per legationes ſe ſuumque ſtudium offerunt, ſive ad ſe tranſire jubeant, ſive ut Lucernanorum immineant ditioni: nihil prorſus eſſe, quod juſſi non ſint obituri: Verum nihil dictum aliud, niſi ut propius accedant Baſilienſes & Mulhuſii. Quingentis ergo Medianam illi vicum, hi Jonam centum militibus occupant, cedentibus hinc extraordinariis Roſaugiam usque.

Dum

Dum apud hostes, quæ proxima fuerant Oratione pronunciata, colloquiis expenderentur: Hugonem, ajunt, secundo repetisse: „ Charissimi, fidissimique Confœderatores, si „ civilis hic tumultus, præter pensiones non „ haberet causam, fœderatus fœderatum non „ esset occisurus ob rem tantillam. Verum, „ est, quod nos afficiat multo gravius atque „ perniciosius, fides patrum nostrorum, hanc „ permittere, ut è manibus extorqueatur, id „ vero Deus avertat. „ Hæc ideo jactabantur ab homine perquam astuto, ut ex plebis animo, quicquid esset de se suique similibus malarum cogitationum eximeret, nam & ex hujus plebis numero sunt, quos vel minimo digito contra pensionariorum procacem insolentiam excitares, at ut fidem majorum derelinquerent, quia sanctam putant, hic autem nulla vi compellere queas.

Hoc loco præterire non possum, quod quidam è nostris sive stultitia, sive malignitate, posteaquam è castris hostilibus redierant, inter milites disperserunt. Nunquam se vidisse per omnem vitam copias instructiores, præ cæteris tamen Sylvanos quamvis paucos (nam unius tantum vexilli milites erant, pars majuscula in Monte Bruniga cum Panerio contra Bernensium vexilla septem excubuerat) nam ita ferro contectos undique ut procul intuentibus non viri, sed Chalybis massa fulgentissima putaretur. Stetisse omnes Leonum in modum veluti jamjam præliaturos. Præterea tormentorum magnitudine

dine & multitudine nobis longe præcellentiores eſſe, quamobrem optare ſe quidem pacem, quæ ſi non contingat, cum viris non cum pueris rem futuram. Hujuſmodi ſtellis exercitus noſtris interlucebat. Equidem quidvis potius, quam hos Tigurinis fuiſſe amicos crediderim. Excitandus eſt miles, non dejiciendus, etiam dum hoſtis eſt crudeliſſimus, imò tum maxime, cum omnia videntur maxime iniqua: Contra iſti, poſtquam nihil non, præter impios paucos, à noſtris ſtaret partibus, conantur, animo plane non bono, terriculamentis militem, alioqui fortiſſimum, tanquam panicis movere. Eradendus, ne dicam eradicandus, meo quidem judicio, quisquis talis eſt.

Steinhuſium vicus eſt in Confiniis Tigurinorum & Tuginorum, huc jam Araugia deprecatores conceſſerant Glareani, Salodori, Friburgenſes, Scaphuſii, Abbacellenſes, Curienſes, Conſtantienſes, Argentoratenſes, Rotwilenſes, advocatis partibus; articuli nuper in caſtris concepti & à Senatu adprobati, nonnihil etiam auđi, Capitibus proponuntur, dumque non eſſet, quod reſponderent: „ quid, inquit, Pe„ trus Hebelius Solodorus, dicitis? Si quid de„ eſt, conſilium petite vel negotium nobis „ committite. „ Quamvis hæc quidem ſua ſponte per meram effudiſſet audaciam, nemo tamen contradicit, adeo vix unus & alter Tigurinorum honeſtati pietatique dominicæ favebat. Ergo negotio permiſſo conſultant, quæ

viderent duriora mitigant, & Tigurinis exponunt. Hi dum nullam se de instituto consilio pati jacturam posse contendunt, Bernenses interpellant, de pensionariis vel ideo non consensuros cum Tigurinis, quod nuperrime vale pensionibus dicto, gravius quid statuere in eos nequaquam valeant, ni pudendis convitiis dilacerari malint ab omnibus; in hac autem esse sententia, ut pensiones æque, atque ipsi fecerint, deinceps jurando aboleant in perpetuum: quod si post abolitionem quis pejerasse deprehensus fuerit flagitium supplicio & bonis luat. Durgæani postquam, inquiunt, Tigurinorum sumus jurati, nolumus posthac capita quidpiam de nobis sibi vendicent, incivilius enim hactenus, nobiscum egerunt, quam ut aliquid juris in nos mereantur. Moram hæc interjiciunt belli finiendi, impensas augent, contentiones fovent inter amicos, ansam hostibus malorum consiliorum præbent. Mittuntur itaque literæ, mittuntur legationes, curritur sursum deorsum, id est Tigurum, Bernam, in utraque castra, si hisce vulneribus accommodæ possent illigari fasciæ: Verum nescio, si quid majus actum, quam spes hostium de salutifero sibi inter Tigurinos & Bernenses dissidio futuro.

Decima nona Junii festinabundus adest Lavaterus, cum literis nihil profecisset, exponit Senatui quam diligenter atque feliciter munus injunctum transegerit, audiat vero segnius omnia fieri, cujus ipsum rei non parum pudeat, quippe qui suis de dominorum suorum diligentia & forti

forti conſtantia, nonniſi maxima & ſumma prædicet. Itaque deprecetur, ne committant, ut egiſſe mendaciis ipſorum negligentia vere quandoque dicatur. In caſtra mox tranſit, agit ſimiliter: ubi vero cognovit, deprecatorum quorundam iniquitatem; Bernenſium item contentionem de penſionariis, animum promptum & conſtantem Durgæanorum erga Tigurinos, erat in hoc totus, ut hoſtis invaderetur, aliter enim ad pacem bonam neutiquam pertingi poſſe. Verum quod de pace nimium deprecatoribus fuerat conceſſum, laborat fruſtra: conſilium initur tamen, quo ſtatuitur, ut idem cum Bernenſium multitudine de iis rebus quæ ſeſe maxime premant, palam colloquatur, ſi forte per hunc modum res alio queat deflecti. Sed ne quis Tigurinos, ut ſanguinis avidos, inſimulet, hæc eorum vehementiæ cauſa: noverant divina providentia quadam, quicquid recipiatur ab hoſtibus, non iri ſervatum, niſi de medio ſublatis penſionariis.

Poſtridie cum Balthaſare Cellario Bremgartum abit, colloquium cum militibus à duce conſiliariisque petit, ſed eo, quo reliqua, conatu, nam id ſtrenue conſtanterque denegatum. Legatos ſine mora Bernenſes ad Senatum Tigurinum adornant ſpe firma, concordiam illic conditionum pacis minori negotio paratum iri: ſequuntur modo dicti, tum & ex caſtris Dumiſius, compoſito credo, cum quibusdam aliis. Hic tandem effectum, ut conſonarent omnia. De penſionariis occidendis, deque jure ſervitu-

tis comminuendo (id quod propter Durgæanos nuper occupatos à Tigurinis adjectum erat) erasum est: à Bernensibus horum loco positum: Murnerum ob contumelias contra se, atque pietatem omnem judicio sisti debere confœderatorum.

Pacis Conditiones, de quibus per omnia concordatum, hæ sunt:

I. Eò quod nemo sit ad fidem compellendus, nec Capita nec eis subjecti compellendi sunt. In præfecturis communibus ubi Missa jam abrogata, combustæ seu loco motæ sint imagines, accusatione careat. Ubi hæc vero cum aliis ceremoniis adhuc retineantur, & vis absit & docentium qualiscunque conciliatio, nisi major id pars Ecclesiarum decernat. Decreta de cibis cujusvis generis nusquam à Deo prohibitis parem rationem habeant: Interea neutra pars alterius fidem aut persequatur, aut puniat.

II. Quandoquidem fœdus Ferdinandinum ob fidem eradicandam percussum, sequestrorum autem opera jam odia, persecutiones, compulsiones, debeant esse consopitæ, fœderis tabellæ nunc demum manibus horum offerantur, priusquam moveantur castra. Sigillis avulsis, tabellisque confossis, atque frustillatim discerptis fœdus extinctum penitus ac demortuum sit usque in sempiternum. De aliis Civitatum pactionibus, & fœderibus, quæ novissimis sint inita temporibus, comitiis proxime futuris agitetur, sine jactura tamen & dispendio christianissimi fœderis Tigurinorum, Bernensium,

ſium , Baſilienſium , Sanctogallorum , Mullhuſiorum , & Bielanorum.

III. Circa penſiones , donationes , munera regum , principum , dominorum, dictæ Civitates diligenter & obnixe cum ſociis petant , ut Capita pro ſe , ſuisque hæc ipſa pariter cum externorum bellorum adminiſtratione penitus obliterent , & patriam curent. Quod ſi petitis morigerari non placuerit , inſuper autem unus aliquis ſeu plures è civitatum imperiis pellicere milites , recipere , & in militiam abſtrahere perrexerint , ii tum Dominis ſuis delati mox vitæ jactura culpam abſtergant. Idem juris maneat, ſi Civitates eos ipſos in ſuis imperiis deprehenderint.

IV. Penſionum diviſores , qui ſunt & flagitiorum autores & malarum artium omnium, permittunt , ne nunc quidem puniantur , quod hactenus quæ fecerint , per ſuos licuerit , at ubi fuerit lege cautum ne deinceps prava iſta patrentur , prævaricatores , & morte , & bonis crimen dependant.

V. Conventicula quibusdam Capitibus in vico Beggenried hactenus , ſeu alibi celebrata, de cætero tam à quatuor Civitatibus Sylvanis, quam ab aliis in communibus Confœderationis rebus devitentur , nam nihil inde boni provenire. Quod ſi quibus Civitatum jura ſint vel aliæ pactiones à ſuperioribus ſervatæ temporibus , iis conveniant licitum ſit in propriis cauſis pro ſententia , quoties voluerint : tantum dum conſultatur de publico fidelem ſe quisque, non malignum aut factioſum conſultorem exhibeat.

 VI. Cum

VI. Cum sæpius inter Legatos publicos questionis vice dictum sit, quosdam ex Capitibus nomine totius Confœderationis egisse, & publicasse, quod reliquis fuerit & ignotum & ingratum, id posthac ne fiat cautum sit. Quod si quibus aliquid edere vel libitum, vel opus fuerit, hoc agant suis ipsorum, non alienis titulis appositis.

VII. Quid liberis D. Jacobi Serarii pro decenti victu præberi debeat à Suitensibus sequestrorum sit æstimare: nam iis quidquid fuerit visum, ratum maneat ac inviolabile.

IIX. Pacta & mandata Verbum Domini concernentia, quibus sex Civitates, Tigurum, Berna &c. vel inter se, vel privatim transegerint, vim suam retineant firmiter, ac solide, maneantque immutata, & sine cujusvis inturbatione. Missam quoque, Simulachra, Templorum cultus, Ceremonias abolevisse, impune sit Viris cujuscunque potestatis. Interim nemo violenter ad fidem cogatur.

IX. Basiliensibus, Sanctogallensibus, Mulhusensibus, Bielanis, Durgæanis, Bremgartinis, Mellingensibus, Rhenivallensibus, Genti Abbatiæ divi Galli, Genti ex Valleforti, Doggiis, Gastaliensibus, Veseniis, aliisque seu vicis, oppidisve, seu magistratibus privatisve, qui Tigurinis & Bernensibus ad bellicum hunc tumultum fuerint auxilio vel solatio, quacunque tandem id ratione, nec verbo quidpiam mali, nec opere propter hoc ipsum, quod exhibuerint, infligatur. Similiter Vallesianis publicis aut privatis personis, religiosis aut sæcularibus,

qui

qui Capitibus adſuerint quocunque modo jam dicta lex ſubveniat. Et ut firmiter & incorrupte cuſtodiatur, adſeri debeat, deſcribi, ſigillari.

X. Verbis ignominioſis & contumeliarum plenis utrinque propter fidem, usque dum hæc diſſenſio coorta, proterviter jactatis, ita partes abſtineant, ut de cætero nuſquam audiantur; Si quis contra fecerit, accuſatus apud Dominos ſuos vita privetur, & bonis. Sin Domini languidiores in puniendo fuerint, ejusmodi repertus in quacunque ditione per poteſtatem ad ſupplicium trahatur commeritum ſine cujusvis contradictione.

XI. Inhibitiones redituum, tributorum ad Eccleſias & Collegia reſpicientium, à quibus Miſſæ renunciatum, factæ per Helvetiam, jam tandem reſolutæ, liberatæque poſthac, ut ſolitum fuerit ab initio, perſolvantur.

XII. Murnerus Tigurinis & Bernenſibus in Jus vocatus, apud ſequeſtros Judices in oppido Badenſi repræſentatus à Lucernanis compareat & pro commerito puniatur. Argentoratenſes & Conſtantienſes ob preces factas domi maneant. Reliquos, quo minus indicto concilio binis præſto ſint legatis, nihil excuſet.

XIII. De belli totius expenſis ſtatuere, conſciis Tigurinis & Bernenſibus tamen, ſequeſtris permittitur, hac quidem ſpe, quod expeditionis hujus æquitate perpenſa non improbabilem ſint æſtimationem pronunciaturi. Hæc autem fiat decimo quarto die poſt pacem con-

firmatam. Quod si minus factum ea temporis designatione fuerit, supra dictæ sex Civitates Capitibus quinque Commeatum omnem interdicant.

XIV. De pace Sylvanos respiciente tum à sequestris agatur, cum expensæ jam dictæ deciduntur. An id vero placide seu jure fieri debeat, in Bernensium potestate situm sit.

XV. Pars utraque fidei suæ dogmata, sine alterutrius vexatione, quousque videbitur retineat. Præterea quisque maneat apud præfecturas suas, dominia, imperia, jura, privilegia, consuetudines, mores, eo penitus modo, quo ante hostiles has inimicitias & hujus belli denuntiationem consueverit. Verum Civitas Sanctogallensium de Abbatia benevolenter à Tigurinis, Lucernanis, Suitensibus, & Glareanis & curetur, & auxilio foveatur.

XVI. Eo quod Durgæani conquerantur oneratos se multis, & gravibus oneribus, imprimis tamen lascivis & malis (id quod luce clarius) præfectis, velint Tigurini & Bernenses deinceps cum Usu venerit gentem Durgæanam piis, honestis, moderatis, provectæque ætatis viris provideri; atque Jacobum Stoccerum, nec non Martinum Uwerlium Ammanum officiis continuo privari, & alios in locum substitui. Hæc ab iis omnia qui de Provincia participent concedi, & in pacis has leges incorporari, de reliquis difficultatibus Durgæanorum mitigationem æquam in proxima concilia sibi à Capitibus & Civitatibus repromitti.

XVII. Fœ-

XVII. Fœdera communia ſtatim, ut hæc tranſacta, locis omnibus veteri conſuetudine, cum Conventione Stanſenſi, cumque præſcriptis hujus pacis articulis redintegrentur & jurejurando conſtabiliantur.

XVIII. Et pro hujus negotii concluſione vexatio, inimicitiæ, malevolentia, perſecutio omnis, & quidquid inter dictas partes, earum ſocios, & auxiliarios mali diſſidii concitatum eſt unquam, prorſus cancelletur.

XIX. Dicta proterva & contumelioſa quorumvis contra Civitates, aut pagos, Concionatores, aut alios quoſcunque remiſſa, & condonata ſint: libera ſint itinera, & actiones privatæ cujusque: Jura vicinitatum, & amicitiæ conſerventur, ut decet Confœderatos. Ante omnia partes & ſectas nemo foveat, nec prius fotas quisquam exprobret, ut quæ nemini nec honorem diminuere, nec eſſe damno ullo pacto debeant.

Hæc traduximus, fideliter credo, & aſcripſimus nihil amputantes, ut videat poſteritas fidem, & æquitatem piorum clarius, & cognoſcat quo miſeriarum regum munera & impietas gentem tam à majoribus laudabilem ac omnibus virtutibus claram conjecerit. Cæterum illas pacis conditiones recipere, pax erat: rejicere nihil niſi bellum.

Capitur dum hæc aguntur à caſtris Capitum aberrans Scultetus ex Waldshuot, literas gerit, quarum hæc ſententia: Rem capita quacunque poſſint ratione procraſtinent, feſtinari namque

ut quantocyus eis subveniatur. Literis perlectis, ipse incolumis dimittitur. Mox rumor volat, Capita tribus vexillis adauctos, paullo post quinque, tandem sex, à rege Francorum milites Germanos remittente per montem Gothardi, quos anno superiori in Italiam adcersiverat. Hæc nullam aliam habebant causam, quam si ejusmodi terriculamentis Capita mitioribus valerent uti legibus. Illud certe conficiunt, ut omnis mora fiat Tigurinis militibus gravior. Mox Capitaneus Abbatis Sanctogallensis & Blenulerus significant, exercitum hostilem ostentare se juxta Brigantum, verum duobus millibus Durgæanorum, qui jam concurrerint, & Rhenivallensibus locum facile defensuros, si quid incidat. Nihilominus è dicta valle Tigurum usque hostis præsentia campanis indicata tantum virorum fortium numerum convocat, quantum nemo putasset. Cum interim tamen & campana & homines felicioris interventu nuncii sisterentur. Verum quicquid id fuerit, illusione, an explorato, si qui viri bellatores etiamnum in hac parte forent reliqui nescio: deinceps ne unus quidem hostiliter agens conspectus est.

Eo die, quo tumultus hic accidit, pacis conditiones per deprecatores ad hostem perferuntur, ut postridie circiter horam decimam, sine dilatione respondeat, quid sit facturus: qua quidem hora adpetente totus Exercitus convenit, occurritur majoribus minoribusque tormentis, unde tam immanis fragor in montibus

tibus tamque diu ſtrepens, ut in urbe nemo non putaret ſigna collata, donec rei cauſam intellexerant, illam nempe, quot quibusque locis Capita, ſi conditiones abnuerent, peti deberent, quo belli finis tam moleſti contingeret optatus. Turbantur admodum hoſtiles copiæ conſidentes in planitie Baræ, ignorant enim quid ſtrepitus tam horrendus velit, de inito prælio pariter conjectantes: at veritate percepta, mirum quanto gaudio pacem ſperantes exultarent, imprimis quos & res ipſa & fames jam olim delaſſaverant. Manet exercitus ad horam usque quintam, tum magna cum gratulatione advolant Æblius, Conſtantienſes & Argentoratenſes, pacem confectam renunciant, corroboratam vero communitamque tam provide, ut ſperent inde compendium vel in multa ſecula duraturum. Quo fidem autem confirment, & fœdus Ferdinandinum adeſſe Conſtantienſes cum Argentoratenſibus adſeverant. Ergo jam ubi de pace nemini dubium, tormenta revehi domum à duce jubentur, nimium feſtinanter, nam id poſteaquam viſum, quod cor exercitus (ut hodie ſunt tempora) abeſſet, milites quoque ſibi ceu copiam diſcedendi permiſſam interpretantur ſupra mille vix remanent. Propoſitis per noctem in Senatu, quæ forent acta, legatis adverſariorum præſentibus, Sylvani per deprecatores vehementer conqueruntur, ſe premi non leviter, quia de expenſis & hujus & ſuperioris belli ſeorſim à ſequeſtris ſtatui debeat: deinde quod nomen fœdifragorum (id quod

ſuperius

superius sit impositum) nec velint ferre , nec possint, quamobrem petant , istud oneris sibi demi. Nemo fere non istud in hanc partem exponit, ut putet post militum abitionem aliquid Capita machinari contra Tigurinos. Persistunt hi tamen intrepidi , nam istorum querimonia neglecta , depromere fœdus jubent Ferdinandinum. Jacobus Ferrius Lucernanus negat esse allatum ; Hinc suspicio, nihil jam minus quam suspicio , pro certo enim fuit omnibus malum foveri. Quocirca tam incanduerunt omnium animi , sed & ora , ut mendacia Capitibus opprobrarent , execrationes jacerent, cædes, eversionem , extirpationem minitarentur , etiam ii , quos non putasses, adeo dolebat falsos esse. Summa , cor duplicatum nulli non videbatur. Tum dux Bernensium in hæc verba prorumpit: „ Jam dudum proterviter nobis illudere videmini , non solum vos Confœderati , sed & vos sequestri : quousque tandem existimatis benignitatem id nostram tolerare debere? Stat sententia , nolle pati hæc amplius, quæ tanto jam tempore perpessi sumus. Imbeciliores aut timidiores fortasse putatis nos factos , quod major pars Tigurinorum abierit: erratis , satis virorum fortium restat, de meis etenim ne unus quidem abscessit. Quamobrem facite , ut execrabile fœdus istud in manus nobis exhibeatur tandem, vel ignem excitabo , quam ne in multa quidem tempora vos extinxeritis; Testis sit communis omnium Deus, sic ratum apud me esse. „

Inter

Inter hæc Hebelius ſe clam ſubducit, neſcio quid paraturus: quod dico, quia ſuſpectum erat, quicquid ageret homo iſte, tam Evangelio renato pertinaciter obluctabatur. Hic iterum Æblius rogare, per Deum, per Chriſtum obteſtari, ne ſæviant, nam ante Solis exortum fœdus ſe præſentaturum, vel certo relaturum, quid animi ſit Capitibus. Iterum creditum, ut hactenus eſt homini.

Interea viatoribus dimiſſis undique revocantur milites, fit ingens trepidatio. Durgæani Vitodurum usque perexerant, Sanctogallenſes usque Tigurum. Werdmülleri vexillum ad Nicolai ſtatuam per lacum demanarat, ſed retro abeundum erat. Jam ut bombardarum carucæ verſæ, cæterum nuncius obviam factus, omnia ſalva dicit. Senatus certior factus, confeſtim revocat, qui jam exierant, & tympani pulſu per Civitatem facto, ſignum præbet Durgæanis & Sanctogallenſibus in tutum abeundi.

Tabellis pernicioſi abominandique fœderis allatis, ad hunc modum actum eſt. In manus accipit non ita frequenti conſeſſu (nox etiam dum erat) Burchardus Wirzius ſcriba, legit, verum non ita multum ingreſſus anxiis interpellatur ab Æblio precibus, ne pergat, nihil fructus è lectione futurum: ineſſe, quæ neſcire multo ſit conducibilius: ad concordiæ fomenta jam nunc reſpiciendum, poſtquam iter ad eam ſit inventum: dilacerationem ſatis ſuperque voti compotes facturum: hactenus morem geſſerint, ne committant, ut poſtremis hiſce pre-

cibus

cibus resilisse dicantur. Mos gestus est iterum, inconsultius meo quidem judicio. Multitudo nunquam id permisisset, utpote multis in posterum modis profuturum. Tum Æblius cultro sumpto primum sigillis & Ferdinandi & Capitum desectis, tabellas perforans multis quidem locis tenuiter ad finem usque conscindit. Hoc facto sequestris agunt gratias Tigurini & Bernenses ob laborum, quos hactenus subierint, magnitudinem, offeruntque promptum, ubi ubi opus fuerit, in posterum, atque benevolum animum. E regione illi, quæ fuerint exhausta, bono docent totius Confœderationis exhausta, precantur, ut operam & studium suum æqui bonique consulant. Ergo salue dicto ultro citroque discessum est.

Vicesima sexta Junii signum augustius Tigurinorum cum reliquis in Urbem redit ingenti cum gaudio, potissimum quod incruenta victoria, ex incruentis pariter vicinis, cognatis & amicis esset parta: comitantur Argentinensium Legati. Suspenditur signum iterum è Curia, ad Vesperum usque servatur, optamus omnes, ut quam diutissime & felicissime. Redeunt item Bernenses vicesima nona dicti mensis in suam Urbem læti, vel ob hanc causam, quod jam secundo felicitatem in Evangelico negotio tam clare fuerant experti, sperantes non vulgariter eandem, dummodo tales maneant, perduraturam in sempiternum: Breviter nemo non redit exultans, quia res specietenus tam horrenda, finiisset tam leniter. Sola Capita minus gaudent, nam

nam contra votum acciderant omnia, imò contra, quam hactenus effent affueti, nam leges dare non accipere moris fuit. Hæc non dicerem adverfus patriam nifi vellem indicare pofteris, quam imbecilles reddantur impietate viri vel fortiffimi. Fefellerat fpem ante omnia Ferdinandinum fœdus; id quod adeo conftabilivit eam, quam de ipfo conceperam, opinionem, ut magis nulla res alia potuiffet, videlicet caufam ejus fuiffe, ut dum bene promittenti crederent Capita, temerarios atque imprudentes jam factos, in furorem conjiceret, unde bellum, id quod factum, oriretur in noftram omnium jacturam, & exitium, ipfe cum fuis interim (ne repetam, quorum fuperius vere memini) fufiffime rideret. Lucernanis meis in foro pifcario conglobatis, Hugo dux, pofteaquam caufas profectionis, nempe miffos à patribus fuis, ut fidem Catholicam defenderent, commemoraffet, indicaffetque de pace recepta, fic Deum fortaffis ob fibi foli cognitam caufam ordinaffe, militibus agit gratias propter obedientiam, quam usque præftiterint, & laborum ftudium, quorum nullum detrectaverint unquam, paremque gratiam pollicetur. Atque hic quidem, "fi me
„ audire volueritis, inquit viri Senatores & ple-
„ bei prudentiffimi atque fortiffimi, dabitis
„ Operam, ne fides illa peffima Tigurinorum,
„ cujus femen fparfum inter vos absque dubio
„ delitefcit, fubcrefcere poffit, nam quid
„ damni vobis, nifi caveritis, inde fuerit fub-
„ oriturum judicabunt facile, qui præfentium

„ rerum

„ rerum turbinibus interfuerint. „ Hoc ille principium dedit legum pacis fervandarum; cum tamen in caftris ejus recipiendæ vel inter primos autores numeraretur , imo tam vehementer & pertinaciter eam fuaderet , ut male propterea cogatur apud fuos audire in hodiernum ufque diem.

Tantum panis urbi Tigurinæ pifti fuperfuit, ut integris octo diebus nec venderetur alius, nec pinferetur.

Adjicienda videntur quædam , & hæc pauca quidem , ex quibus , cujusmodinam animo pacem Capita reçeperint , videri poffit. Tugini (femper eos capias lector , quibus neque jus neque fas ob extremam quandam mentis impotentiam effe cordi valet) ramos abiegnos Capellam intrantes ad vifenda Tigurinorum caftra , paucis diebus poft fignatam pacem , contemptim ac irreverenter geftant. In vico Muriano propter eosdem ramufculos digladiati funt usque ad vulnera. Murnerus monachus vicefima nona Junii , confciis Senatoribus quibusdam , ut ipfemet teftatus eft apud Vallefienfes, teftimonii literis fubindicatis , clam aufugit. Præterea de primo articulo recte capiendo fæpiffime conventum , fed Capita fententia Tigurinorum & Bernenfium contempta , pergunt continenter eorum fidem in fuis criminari , & extreme punire. Suitenfes cavent ; fi quis vel tantillum Lutheranæ feu Zuinglianæ fe fidei commifcuerit , tradatur fupplicio , & bona cedant ærario. Bremgartum per proditionem

civium

civium quorundam occaſione nundinarum Zurzacenſium occupare noctu moliuntur.

Interea ſententia de ſolvendo lata, ne unciam quidem ſe numeraturos pertinaciter affirmant. Res hoc modo fuerat acta. Petunt noſtri millia coronatorum nonaginta, precibus remittunt triginta, ſequeſtri quinque adjudicant, id quod noſtri recipiunt, ne pecuniam non juſtitiam quæſiſſe putarentur: ſed fruſtra, nam quo plus indulgebatur, eo fiebant pertinaciores. Conſilium ineunt ergo Tigurini & Bernenſes cum Conſortibus de Commeatu prohibendo, conveniunt ſi pergant eſſe, quod ſint, Capita, ſe leges ſecuturos. Quod poſtquam animadvertit Æblius, Senatum Tigurinum iterum quantis poteſt precibus orat, priusquam quicquam ſecundum dictas leges exequantur, ad Badenſe Concilium viceſima prima Septembris adveniant, adhuc ſe, id eſt, ſequeſtros tentaturos, ſi quid omnium bona voluntate confieri poſſit: at abnegato quicquid petierat præter Concilii frequentationem, Lavaterus dux eligitur. Ad mercatum ergo dum deſcendunt Rapperſuilenſes, & Lacenſes perpetua conſuetudine, comparaturi, quibus opus habebant, ne granulum quidem eis permittitur, cum ingens penuria frumenti ac imprimis ſalis foret. Unde dolor, & indignatio adverſus eos, qui cauſam mali præbeant, ſed quæ facile deperirent.

In Concilio tanta pertinacia ſuper verbi libertate pecuniaque debita pugnatum, utraque parte ſuam ſententiam & Conſilium mordicus reti-

nente, ut de reliquis conditionibus ne memoria quidem ulla sit habita. Quamobrem pariter omnes qui partes sovent pietatis, quicquid emi vendique [potest in præsentiarum Capitibus interdicunt, atque abeunt. Tunc tandem commotus est equuleus languens, ut ita dicam, nam serio flagitant à sequestris Capita, Tigurinos reliquosque deprecentur, post octo dierum spacium revertantur, nam se facturos, quod par sit.

Rogatum ergo Tigurum adveniunt omnium nomine Glareani & Curienses, tam vehementer instant, ut tandem Senatus promitteret, legationem se missurum, vel ob conditiones, de quibus ne minimo sit actum, etiam dum verbo. Congregato Concilio tanta mansuetudine, tanto benevolentiæ Studio, Capitum agunt Legati, quanto vix nostri commode poterant occurrere, quocirca pax velut de integro confecta, campanæ Badenses omnes compulsatæ consensionis gaudium testificantur: paratur Convivium saliare pacis, & amicitiæ veluti signaculum, cum tamen nil nisi pecuniolæ debitum esset à Capitibus adsertum, solutio autem ad usque Divi Jo. Baptistæ natalem dilata. Equidem statim ominabar, spem nutrire Capita, futurum, ut nihil solvant. Vix enim tandem decima mensis Octobris anni tricesimi persoluta est. Adeo de reliquis articulis vel usque hodie nulla mentio facta est unquam, quasi de tantulo debito fuerint hactenus inimicitiæ, tumultus, lites, & quicquid dissidium per superiora

riora illa tempora pepererit, quamobrem neſcio quandonam finem ſint, vel an ſint inventuri. Semina quoque hoſtilium inimicitiarum non pauca manent, è quibus controverſia de Abbate Sanctogallenſi, (qui dum obequitat mala Tigurinis ſtruens, nunc apud nobiles quosdam Suevos, nunc apud Carolum Cæſarem Auguſtæ, in Bregetio flumine inter duos famulos ſubmerſus perit,) nova ſparguntur. Nam interim dum hæc fiunt à Zurzacenſibus, Hitzkilchianis, Wettingenſibus, Abbate & Monachis, Evangelium recipitur. Scaphuſii, Argentoratenſes, & Lantgravius Heſſorum in Civitatem à Tigurinis, & reliquis piis Civitatibus recipiuntur. Quidam etiam, quibus per vices Capita quoque præfectos Capitaneosque ſubſtituunt, hos recuſant, niſi fidem jurejurando faciant, Evangelicam doctrinam ſe per omnia defenſuros: Ex quibus omnibus & multis adhuc aliis, quæ ſciens prætereo, nihil apud me certius eſſe poteſt, quam inimicitias & contentiones eousque perduraturas, quoad Deus Opt. Max. largitus fuerit, ut Capita una cum piis Servatorem unicum Jeſum Chriſtum & credant & confiteantur.

II.

Zerstöhrung des Closters Roschach, und daraus erfolgte Belagerung der Stadt St. Gallen 1490.

Nachdem Abt Caspar von Landenberg mit einer Löbl. Stadt St. Gallen um etwas Freyheit und Gerechtigkeit halben An. 1457. in ein Gespan kam, und zu Bern solches rechtlich behandelt worden, dergestalt daß sie allerdingen ihrer Freyheit und Gerechtigkeit halben von den Aebten gefreyet wäre; Und als nach Abt Caspar folgte Abt Ulrich, (welcher eines Pfisters Sohn von Wangen war) verdroß es einen Abt und Convent sehr übel, daß eine Bürgerschafft solcher Closter-Beschwerden ledig war worden, und trachtet Abt Ulrich Tag und Nacht, wie er einer Stadt St. Gallen wiederum etwas Beschwerden möchte auflegen, oder

Der Verfasser ist der berühmte Bürgermeister von St. Gallen, Joachim von Watt, oder Vadianus.

oder ihr etwas von ihren erlangten Freyheiten und Gerechtigkeiten abschrentzen, erdachte auf solches eine List, wie er könnte eine Absonderung seines Closters mit Einfang, Thüren und Thoren erwerben, welches er An. 1480. in seinen vielfältigen und freslen Ansprachen nicht erlangen mocht, sondern ihm abgesprochen worden.

Da er nun sahe, daß es umsonst war, und er sein Closter in unsrer Stadt dergestalt nicht freyen mocht, wie vielleicht von Alters her gewesen war, und aber des Stoltzes und Hochmuths war, daß er nicht wollt eingethan noch beschlossen, sondern für sich selbst Herr und Meister seyn, denn wiewohl er die Geistlichkeit zu einem Deck-Mantel vor ihm hatte, sam es ihm nicht gelegen seyn wollte, solche in unsrer Stadt anzurichten, so war doch im Grund sein Fürnehmen, daß er mit niemanden Gewalt, Gerichten und Oberkeit verschlossen seyn, sondern in eigner Gewaltsame und Herrlichkeit seyn wollte, hat er endlich bey sich beschlossen eine Stadt St. Gallen zu übergeben, und zu Roschach ein Closter zu bauen; und damit er seinen Räthen, auch Dechant und Convent solch sein Fürnehmen könnte glaublich einbilden und angenehm machen, stellte er allen seinen Rathschlag in Schrifft, und ließ nichts dahinden, das er erfunden und erdacht hat, damit männiglich eine Lust und Liebe darzu trüge; da ward angezeigt die Gelegenheit, des Orts, item die Kommlichkeit, Fisch, Fleisch,

Wasser, Wein, Obst, Vieh, Stroh, Heu, Zugang, Ausgang rc. und alles so man zu einem gelegenen Bau erzehlen und erdencken mocht, nach aller Notdurfft gemeldet und verschrieben.

Also verzog sich der Handel biß auf das 1484ste Jahr, daß die Mauer um den Garten, darinnen das Closter liegen sollte, gemacht ward, und etliche Jahr darvor die Güter, so an dem Ende gelegen waren, von denen von Roschach erkaufft waren; darnach im 1487sten Jahr (wie er den ersten Stein am Closter-Bau gelegt hat) ließ er eine andere Schrifft ausgehen, in welcher er über alle Sprüche und Verträge, auch die Verrichtung, die von unsern Eydsgenossen um alle Sachen geschehen, daß man ihr nicht weiter gedencken, sondern hin todt und ab' seyn sollten, viel Artickel melden ließ, die ihm beschwärlich und unleidlich, und darum zu diesem Closter-Bau verursacht wäre.

Ehmahlen aber Abt Ulrich sich zu bauen unterstuhnd, schickte er 1483. an Pabst Sixtum den 4ten dieses Nahmens um Verwilligung, welcher es ihm bestätiget, doch nicht ohne Geld.

Darnach im 85sten Jahr, als Keyser Friederich gen Costantz kommen war, fuhr er zu und erwarb auch eine Freyheit zu solchem Closter-Bau, daß der Keyser ließ gebieten bey Straff 60. Marck Golds (den halben Theil der Reichs-Kammer, den andern halben Theil Abt Ulrichen

chen verfallende) daß ihn niemand an dem Bau hindern sollte; diese Verwilligung war auf den 15ten Augsten aufgericht obgemeldeten Jahrs. Und als gemeldeter Abt Ulrich sich wohl zu versehen hat, daß zu solchem Fürnehmen kommlich und gelegen seyn wollte, daß mit Wissen und Willen einer Landschafft des Gotteshauses gehandlet, und dieselbige in diesem Fall nicht veracht noch unterlassen würde, ließ er eine lange Schrifft stellen, in welcher anfänglich Meldung geschah, wie das Gotteshauß in unsrer Stadt herkommen von dem lieben Hauß-Vater St. Gall, der sich in diese Wüste verfügt, allda nach mancherley Durchächtung GOtt zu dienen in Fried und Ruh; wie aber solch Gotteshauß nicht allein an Geistlichkeit, sondern auch an Ehre, Reichthum und Vermögen zugenommen hätte, und für andern Gotteshäusern ansehnlich worden wäre, hätte sich zugetragen, daß die Beywohner allerdings an Reichthum auch zugenommen, und aus solchem hoffärtig und begierig nach des Gotteshauses Gütern, Ehehafften, Herrlichkeiten zu greiffen, und auch das solcher massen gröblich unterstanden, daß sint den nächst vergangenen 100. Jahren selten Ruh noch Fried gegen und mit denselben gewesen, darbey grosser und mercklicher Auffsatz und unträglicher Schaden und Kosten, so auf Rechtfertigung des Gotteshauses Ehehafften und Gerechtigkeiten zu erhalten, aufgelauffen wäre;

welche Kosten obgemeldtes Gotteshauß ohne Verderblichkeit nicht tragen noch erleiden möchte, und ihm zu Zeiten nützlicher und fruchtbarer wäre, solche Zusprüche und Anzüge zu verlassen, dann so unsäglich Gut darauf zu legen.

Zudem auch ein Herr und ein Convent und ihre Diener zu Zeiten weder ihres Leibs noch Guts solcher Dinge halber sicher seyn, auch zu Zeiten solcher Unwillen und in Sterbens-Läufften an kein ander Ende, ihnen und auch der Geistlichkeit und dem Regiment des Gotteshauses ziemlich und gebührlich, kommen noch füglich entweichen mögen, besondern sie allda bleiben müssen, dardurch sie mercklich gedruckt, und in manchen Weg schwärlich von den Ihrigen gedrängt, und darzu gehasset worden sind, und ohne Aufhören werden 2c.

Deshalb nicht wohl möglich, so ein Herr von St. Gallen mit seinem Convent und ihren Dienern, also mit andern Leuten, Schlössern und Thüren umgeben und beschlossen ist, daß an dem Ende weder Geistliche noch Weltliche zu dem Gotteshauß gehörend, von einem Herrn nützlich oder wohl geregieret, oder in rechter Gehorsamkeit gehalten werden möchten, denn er seine Gewalt nach seinem Willen und der Billigkeit, allda nicht verbringen noch üben mochte.

Darum ein Herr an dem Ende nicht tauglich seyn, auch kein Gebäu noch Gemach allda überkommen noch haben, dardurch er seine Gewalt-

waltsame üben, auch sein Regiment geist- und weltlicher Sachen in Ziemlichkeit führen möchte.

Demnach dieser Hochw. Fürst, Abt Ulrich, solches zu Hertzen genommen und betrachtet, besonders die Geistlichkeit, dabey die Ehehafften, Leute und Güter des Gotteshauses vor Kummer und beschwärlichen, unleidendlichen Anstössen zu behalten, mit weisem Rath, geist- und weltlicher ehrbaren Leute, für sich genommen und unterstanden habe, noch ein Wesen und Behausung für eine Zuflucht, und nemlich eine Probstey zu Roschach, in seinen hohen und untern Gerichten, Zwingen und Bännen, zu einem ewigen Wesen solcher massen zu verordnen, welches unzertheilbarlich zu dem Gotteshauß gehören sollte, und allda ein Herr und ein Convent ein nützlich geistlich Wesen haben, auch zu und von den Ihren, wann und zu welcher Zeit sie wollen, kommen, und ihr Land und Leute nach ihrem Willen und Gefallen, nach Nothdurfft und aller Billigkeit regieren und versehen mögen, ohne mercklichen Eintrag und ohne Verhinderung und Abzug, als ihnen zu St. Gallen lange Zeit beschehen und ohne Unterlaß täglich beschehe. Und damit solch ehrlich nützlich Fürnehmen nicht ersässe, sondern seinen stäten Gang hätte, so wollten sich Abt Ulrich, sein Convent und ihre ewige Nachkommen, mit wolbedachtem Muth einhelliglich in ihrem versammleten Capitel, hiemit williglich und wüssentlich

lich in Krafft dieser Verschreibung begeben haben, daß 3. ehrbare, weise und redliche Männer, von desselben Gotteshauses Städten und Landschafften, zu rechten beständigen und ohnablässlichen Baumeistern sollten gegeben und geordnet werden, solchen Bau nach Anzeigung der Visierung darüber gemacht sie dannethin bey gantzen Treuen, bey ihren Eyden, nach dem nützlichsten und besten für sich treiben, machen und ausbauen, und daran nicht ersitzen noch nachlassen, in keine Weiß noch Weg, und nemlich alle Jahr, jährlich und ein jedes Jahr insonders, von desselben Gotteshauses Nutzen, biß zu Ausgang und vollkommenem Ende und Beschluß desselben Baues 1500. fl. Rheinisch verbauen, und ohne alle Hinderung anlegen und verwercken lassen sollen.

Wo dann die von einem Herrn von St. Gallen und seinem Convent, so je zu Zeiten sind, von des Gotteshauses wegen, nemlich 500. fl. auf Liechtmeß, und 500. fl. auf St. Johannes-Tag zu Sonnenwende, und darnach zuletzt 500. fl. auf St. Gallen-Tag ohne allen Abgang und Fürwort, nicht daran gegeben, und den Baumeistern geantwortet würden, sollen desselben Gotteshauses Zehenden, Renten und Gülten im Rheinthal, daran nichts ausgenommen noch hindangesetzt, darum verhafft und in rechter Pfands-Weiß verschrieben und eingesetzt heissen und seyn, und jährlich um solch verbauen Gelt

1500. fl. betreffend, angegriffen und davon eingebracht werden, mit oder ohne Recht, geistlich oder weltlich, und ob ihnen etwas abgieng davon, von allen andern desselben Gotteshauses Zehenden, Zinsen, Nutzen, Renten und Gülten, so lang und viel, biß solche Ausrichtung der 1500. fl. erstattet wird, ohne alle Einrede, Fürwort und Verhinderung.

Solches zu vollziehen haben sich verwilliget Schuldheiß und Rath der Stadt Weyl, Landvogt, Schuldheiß und Amman zu Liechtensteig und Graffschafft Toggenburg, Amman und Gemeind der Stadt Altstätten und der Höfe gemeinlich im Rheinthal, Amman und gantze Gemeinden der Höfe Roschach, Romißhorn, Gossau, Waldkirch, mit samt andern Höfen und Gotteshauß-Leuten im Thurgäu gesessen, und alles so in obbemeldtem Brief verschrieben steht, sich bekennt zu vollstrecken und keines Wegs lassen abgehen, und daß sie 3. ehrbare Mäñer zu solchem Bau verordnen, und auch nicht biß zu Vollendung des Baues wollten abgehen lassen in keinen Weg, und sind 2. gleichlautende Briefe gestellt jedwedem Theil einer, (als nemlich Abt und Convent, und den Gotteshauß-Leuten, die verwilliget) mit des Abts und Convents, und in der Gotteshauß-Leute Namen mit der Stadt Weyl Insigel, aufgericht und bevestiget worden; wiewohl wenig Leute um solchen Anschlag gewußt, sondern sich die Fürnehmsten

allen-
